





1718.

1. Bastineller, Gebhardus Christianus: De citatione
edictali.
2. Bastineller, Gebhardus Christianus: De actione
ex quo cumque pacto mortis data
3. Bergerus, Christoph. Henr., Ordinis jurilici: . . .
Decanus: lecturi o. p. 1. (ad Disputationem inaug.
Caroli Christiani Krautii invit.)
4. Bergerus, Christoph. Henr.: Ordinis jur. . . . Decanus:
v. l. s. p. 1. (ad Disputationem inaug. Caroli
Guustelmi Beyeri invit.)
5. Bergerus, Christoph. Henr., Collegii Feterum . . . Deca.
nus: ad Disputationem solemnem Candidati
Fr. Nathanaelis Burkii invit.)
6. Bergerus, Christoph. Henricus: Ad Disputationem
inaug. . . . Gotofredi Rorkaldi Presulidii . . .
invitat.)

1718

7. Chladenius, Martinus, Ordinis Theolog. : -- Decanus
lecturæ generalis jubileæ pie -- Transacta
gratulatur
8. Chladenius, Martinus : De promovendis con-
suetis ecclesie evangelicæ - lutheranæ . . .
9. Emezer, Theobaldus : Observaciones selectas ad
dictum censuræ ecclesiasticæ papalis
placide requisitioni submittit.
10. Mencken, Gtfr. Ludv. : Ord. jur. dec. : Lecti. bon. v. d. <sup>(ad d. 27. septembris
solenniter de Henrico Solde
gely, i. p. 104)</sup>
11. Menckenus, Gtfr. Ludv. : De contributione
suecica.
12. Mencken, Gtfr. Ludv. : De transactione
ex falsa causa.
13. Mencken, Gtfr. Ludv. : De remissione
juramentorum exprimis jure Saxones
Electores.

14. Mencken, Gottf. Ludw.: De eo, quod justum
est circa ritum et formulam benedictionis
in ecclesia benedicens
15. Schmalzer, Dr. Andreas: Modum probandi innocentiam
per eucharistiam secundum vulgare
sententium . . . examinabit . . .
16. Spener, Dr. Carolus: Praecepta Longobardica Doctrinae
De felicitate ad status imperii com-
muniter applicatae.
17. Thorschmidius, Justinus Christ.: De studiorum
ratione ad generum seculi congrua.
18. Vater, Abrahamus: Lectiones publicae de
incrementis artis medicae ex remediis
exoticis noviter detectis expectandis
habendas inclinatio et artis salutaris . . .
cultores . . . iuvabit.

19. Wernker, Fr. Beckman, Veridius Juridici . . .

Decanus l. s. d. (et reputatioem in eus.

Christophori Gottlieb Wenzeli innotat)

20. Wernker, Fr. Beckman: Dissertatio juridica

. . . pro veram de praescriptione immensio-
visi sententiam . . . submittet.

21. Wichmannshausen, Johannes Christophorus:

De aelis tabernaculi atque Templi

21 1713 1718 288
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

PROMOVENDIS COMMODIS
ECCLESIAE EVANGELICO-
LUTHERANÆ,

QUA SIMUL
TERATOLOGIÆ ALB. RIPERI,
IN SCRIPTO
MOSES DEUS AARONIS PROLATÆ, REFELLUNTUR

QUAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI SUMME VENERABILIS

DN. MARTINI CHLADENII,
S. THEOL. DOCT. EJUSD. PROF. PUBL. ORDIN. ALUMNORUM
REGIO-ELECTORALIIUM EPHORI. ORD. ITEM THEOLOG.
H. T. DECANI,

PATRONI, FAUTORIS, ET STUDIORUM SUORUM
AMPLIFICATORIS, OLIM HOSPITIS

OMNI, QUO DECET, CULTU PROSEQUENDI
E CATHEDRA D. LUTHERI

D. XXIX. MART. A. MDCCXVIII.

DISCUTIENDAM PROPONET

AUCTOR RESPONSURUS

HENRICUS JOHANNES BÜTEMEISTER,
CELLENSIS

ART. MAG. ET S. TH. CULT. 1718

WITTENBERGÆ EX TYROGRAPHEO FINGELIANO.

VIRIS
SUMME REVERENDIS, EXCELLENTISS. ATQUE
AMPLISSIMIS,

DOMINO
POLYCARPO LYSERO,
S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
POTENTISS. REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ IN TERRIS
GERMANICIS CONSILIARIO ECCLESIASTICO, ECCLESIA-
RUM IN DUCATU CELLENSI SUPERINTENDENTI
GENERALI, ET IN URBE CELLENSI PASTORI,

UT ET

DOMINO
JOHANNI DANIELI
BÜTEMEISTERO,
ECCLESIAE PER DUCATUM GOETTINGENSEM
SUPERINTENDENTI GENERALI, TEMPLI AD D. JOHANNIS
IN URBE GOETTINGENSI PROT - ECCLESIASTÆ,
REGIO ELECTORALIS ITEM GYMNASII IBIDEM
PROFESSORI THEOL. PRIMARIO,

DOMINIS ET PATRONIS SUIS

PIA MENTE OMNIQUE OBSEQUIO COLENDIS,

SALUTEM PREGATUR

OBSERVANTIAM TESTATUR

VENERANDORUM IPSORUM NOMINUM

CULTOR OBSERVANTISSIMUS

M. HENRICUS JOHANNES BÜTEMEISTER.

Uos paritas dignitatum, similis pro vera doctrina & non fucata pietate zelus, mutua amicitia, aliaque plura conjunxerunt invicem, eosdem mihi quoque hac in compellatione, (qua Vobis exercitium aliquod academicum consecrare atque inscribere institui,) jungere liceat. Quod enim ad Te, Vir Summe Reverende atque Excellentissime, Domine POLYCARPE LYSERE, non habeo nullas hancce Tibi dissertationem inscribendi causas. Patriam agnosco Cellas, urbem amœnitate situs, salubritate aeris, & quod præcipuum est incolarum frequentia non solum, sed & perpolitata in conversatione ac moribus suavitate nulli secundam: in hacce urbe rerum sacrarum agis Antistitem, magnorum illorum Theologorum, JOHANNIS ARNDII, MICHAELIS WALTHERI, & JOACHIMI HILDEBRANDI successorem. Fas itaque omnino fuit, ut studii sacri a me usque adhuc culti, rationem aliquam exhibeam Tibi, quo insuper etiam cognoscas, commendationes Tuas, quibus Wittenbergam abiturientem instruxisti, non frustra fuisse datas, tempusque, hic a me transactum illi, cui oportebat, studio esse dicatum. Sunt alia plures causæ, quæ a me hoc quale quale dedicandi officium videbantur exigere, quæ tamen commemora-

morare superfedeo ; cum persuadear , etiam sine earum recensione , meum Tibi hoc studium ingratum non futurum , cuius rei certitudinem ex eo petam , si hanc opellam æquo respexeris animo . Si vero Te spectem , Summe Reverende Domine Patruæ , JOHANNES DANIEL BÜTEMEISTER , innumera inter indulgentissimi Numinis benefacta , quibus mea pueritia voluit pro clementia sua esse beatum , principi proximum locum occupare arbitrator ea , quæ per Te idem ad me derivavit . In Te solo , Vir Venerande , et Patruum , & Susceptorem , & studiorum morumque moderatorem veneror . Is demum bene mihi videtur natus , cui familia obtigit , Reipublicæ Civili & Ecclesiasticæ non sine fructu & laude inserviens . Non dico gradum hæc ad dignitates parare , quanquam nec id contemnendum videatur ; nec memoro educationem eo liberaliorem esse solere , quo magis ab inferioris sortis gente , quæ decoris & humanitatis est negligentior , remotos nacti sumus parentes , hoc tantum nunc innuo , magnam illorum meritorum , quibus fulgent necessitudine nobis juncti , ad nos redundare partem . Certe quantum mea huc usque interfuerit , & adhuc interfit , Te Patruum appellare , insigni cum emolumento etiam hic Wittenbergæ didici . Namque si quid est favoris , mihi a summis hujus Almæ Viris

-SICMI

2. 10X

Viris

Viris concessi, Tui imprimis Nominis celebri-
tati deberi sentio. Ita vere ornamentum haberes
BÜTEMEISTERORUM præcipuum, cum alii, Tui
gratia, variis ornentur beneficiis. Nolo autem
huic insistere argumento, fertili quamvis & uber-
rimam divinam gratiam prædicandi materiam sug-
gerenti. Insignius videtur divinæ signum esse pro-
videntiæ, quod Te mihi testem dedit acceptæ per
sanctissimum lavacrum Christianismi notæ. Est
hic primus ad salutem æternam gradus: quapro-
pter eos, qui pro nobis DEO spondent, velut sa-
lutis illius promotores colimus merito & suspici-
mus. Multum autem refert, quales & quos nan-
ciscamur fidejussores. Equidem quoties, vel præ-
sens Te intueor, vel absens Te cogito, non vio-
landi cum DEO pacti recordor. Ast hæc mihi
cum aliis sunt communia. Majus est, me præter
hæc in Te simul habere exemplar pietatis illius, il-
larumque virtutum, quæ Christianis propria sunt,
certe esse debent, quæque servatæ fidei, per susce-
ptores datæ, documentum exhibent luculentissi-
mum. Verum enim vero cum tanta sit humanæ
conditionis imbecillitas, ut labatur facile, nec con-
sistere, diu valeat, ni solidis nitatur fulcris, atque
hinc cultura opus fit, non morum solum ad pieta-
tem compositorum, sed studiorum etiam, sacro-

XOX 3

rum

rum in primis & hæc adjuvantium; in hoc decur-
rendo stadio quam fidus mihi exstiteris Dux, ta-
ceo potius, ne quantum inde profecerim, verbis
videar expressurus: mente potius grata per omnem
vitam, a Te, dum Göttingæ substiti, accepta re-
colam beneficia. Ne vero nullo modo re ipsa de-
prehendar gratus, hoc, quicquid est scriptio-
nis, in certissimum venerationis documentum, Tibi
offero. Cui enim potius, quam Tibi primitiæ
Theologicæ, Te primum præeunte perceptæ, de-
beantur, scio neminem. Sulcipias igitur & Tu ob-
servantiæ meæ hocce testimonium, & benevolen-
tia Tua ipsi addas pondus. De cetero valet exi-
mum Theologorum par, & res vestras, quæ &
Ecclesiæ sunt, ex animi sententia, agite, peragite;
me vero, quo hætenus soliti fuistis favore, porro
complecti dignamini. Ego vicissim DEUM, su-
premum omnium rerum arbitrum, supplex conti-
nuis adibo precibus, ut Vos Ecclesiæ suæ, Vestris-
que, in seros usque annos incolumes præstare ve-
lit clementissime, quo Ecclesia Vobis, Theologis
doctrina & vita præstantissimis, ego Vobis, PA-
TRONIS Optimis, quam diutissime fruamur.
Dabam Wittenbergæ Die XXIX. Martii A. R. G.
M D C C X V I I I.

CON-

CONSPECTUS CONTENTORUM.

Præfamen de occasione scripti.

Media Ecclesiæ Evangelicæ commoda promovendi

I. falsa & præpostera:

1. Circa doctrinam §. I.

2. Circa externum statum, sub specie reliquiarum
papatus. §. II.

II. vera & genuina: eaque

1. externa & peregrina,

per felicem constitutionem et dispositionem sta-
tus

(A.) civilis. §. III.

(B.) academici,

vel externi,

partim veram,

tum quod ad pietatem, §. IV.

tum quod ad studendi rationem. §. V.

partim falsam God. Arnoldi, §. VI.

vel interni, in disciplinis,

speciatim historia, §. VII.

notitia linguarum, §. VIII.

eloquentia, mathesi, §. IX.

philosophia, & ceteris. §. X.

2. interna & domestica: circa

A. doctrinam, speciatimque

d. ad eam præparationem. §. XI.

e. ejus discendi methodum. §. XII.


γ' defen-

γ ejus defensionem polemicam, §. XIII.
per argumentorum pondus, §. XIV.
& methodum aptam, adversus Atheos
§. XV.

Naturalistas, Gentiles, Muhamme-
danos, Judæos, Socinianos, Græ-
cos, Pontificios, Calvinistas, En-
thusiastas, Novatores. §. XVI.

γ Ejus exercitium practicum, §. XVII.

B. Regimen Ecclesiasticum: ejusque
a conservatione per professionis unitatem. §. XVIII.
b amplificatione. §. XIX.
γ juris circa sacra tuitione,
contra Alberti Riperi libellum: Moses Deus Aa-
ronis. §. XX---XXVII.



DE
COMMODIS
ECCLESIAE EVANGELICO
LUTHERANÆ
PROMOVENDIS.

Præfamen.

Memoria instauratæ, atque e tenebris in lucem restitutæ religionis purioris per MEGALANDRUM D. LUTHERUM (quem omnes boni ἱθαυματοσσαν καὶ ἠγαπησαν,) superiori anno renovata, pios quosque id jubet, ut non solum pro clementer servata Ecclesia nostra gratias immortalis Deo persolvant devotas; proque ejus salute futura pia fundant vota, verum etiam quovis modo, vel re, vel consiliis, ipsaque vita, Sionis Evangelici salutem studeant promovere. Quo proinde faciunt, quæ hucusque Jubilæi Lutherani causa & occasione, evulgata non languido fervore prodire scripta. Hinc nihil obstat, quo minus & ego, vires exploraturus ingenii, salutaris illius temporis memor, ejusmodi feligam argumentum, quo me pietatis officio fungi posse credidi. Nec etiam academico elaborando specimini congruum magis quicquam videbatur, quam quod ejus, in qua, Deo indulgente, sacra peragimus, religionis, respiceret incrementa: cum non minor sit virtus, quam quarere, parta tueri: atque huc cogitationes, huc

A

con-

DE PROMOVENDIS COMMODIS

consilia dirigere oporteat unumquemque, qui benefici-
ciorum, ex vero redundantium cultu, immemor atque
ingratus noluerit haberi. Hunc, divino Numine
clementer annuente, de ratione, modoque commoda
status Ecclesiæ nostræ promovendi, eumque ad perfe-
ctiorem conditionem provehendi, sum acturus. Adit
igitur cœptis, faxitque, ut hæc aliave consilia in nomi-
nis ipsius gloriam, cœtusque purioris cedant emolu-
mentum! Lector vero æquus & prudens, me singu-
la, quæ de hoc dici possunt argumento, non esse allat-
urum, conjecerit facile, cum in materia hæce tum an-
tecessores viderim paucos; tum etiam multa, præter-
pam meditationem, judicium quoque multo ac diu-
turno rerum usu subactum, requirant, quæ iccirco vi-
ris potius gravibus, & ætate & sapientia me longe su-
perioribus, ea, qua par est, relinquo modestia.

§. I.

CUm vero de Ecclesiæ nostræ promovendis
bonis differere instituo, locum plane relin-
quo nullum novis Ecclesiæ perturbatoribus,
qui spiritu ducti fanatico atque satis turbu-
lento, somnia sua obtrudere, adeoque ipsa
fidei nostræ dogmata mutare, & in aliam formam com-
ponere sunt moliti. Mussitarunt isti passim corruptio-
nem in ipsis articulis fidei atque credendis latentem,
& non mores tantum, sed doctrinam quoque Luthe-
ranorum egere adhuc reformatione, affirmare non
erubuerunt: in quibus vero nunc non occupabor re-
fellendis, cum strenue id fecerint puritati Evangelicæ
studentes Theologi. Videatur B. D. JOH. GEORG. NEU-

MAN-

MANNI *dissert. de reformatismo Ecclesie nostrae intentato* 3
 chiliafmo subtilissimo subjuncta p. ejusd. 199. *Chiliafmi*
subtiliff. p. 227. Ejusd. Programm. Academ. XIV. De pre-
textu abusuum, quo innovandi pruritum exculpere soleant
fanatici. S. R. D. GOTTLIEB WERNSDÖRFII Indifferen-
tismi Religionum Diss. 4. impr. p. 285. ubi Fridlibii abunde
detegit nugas. Quibus jungantur MAGNIF. DOMINI
PRÆSID. Vindiciae Reformationis Lutheri p. impr. 64. ubi
Reformationem Lutheri nihil papæo fermento in-
fectum retinuisse, adversus secus sentientes satis demon-
stravit. Unicum hocce monebo, methodum eos adhi-
bere præposteram, modisque legitimis, atque rationi-
busequis salutis Ecclesie non prospicere, sed, ut eam pes-
sundent, penitus laborare. Huc enim spectant inter alia
Babelis nomina, quibus illam traducunt, & tantum non
rifui exponunt; quod in primis pudendum in modum
*& sine mente fecit G. ARNOLDUS in *Heresiologia* P. 2.*
Lib. 17. §. 29. p. 772. (cujus conferatur index Hæres.
*sub voce *Lutherani*) refutatus jamdudum velut in an-*
tecessum ab ipso D. SPENERO, qui jam ante motus Pie-
tisticos fassus, Babelis nomen Ecclesie nostræ non con-
venire, atque ad abstinendum ab eo, & querelas sobrie
*instituendas suos commonefecerat, in libello: *von Miß-**
brauch und Brauch der Klagen über das verdorbene Christen-
thum A. 1685. edito. Pertinent huc desiderata & defectus,
in quibus designandis nulla hætenus ratione inter ipsos
potuit conveniri. Consentiant igitur prius illi inter
sefe, deinde vero & rationem reformandi, & nor-
nam futurarum conficiant doctrinarum, quo sic,
numne, ea medendi ratio veneno, quod irrepsisse
putant, major, num potius hoc ipsum pharmacum
sit virulentum, appareat. Quamdiu vero ex illis

alius hæc, alius præscribit alia, nec morbum verum, ejusque naturam genuinam indicare possunt, quis sanæ mentis hæc sibi invicem contraria elegerit & approbaverit media? Evangelicæ interea nostræ doctrinæ ἀσφάλεια erit inconcussa, homines vero ejusmodi ἰδιόγνωμοὺς, pietatis larva induti, observent illud, quod singulare illud Ecclesiæ nostræ lumen, D. J. C. DANHAUERUS opposuit Pontificiis Theol. Conf. Tom. I. p. 938. *Vincite argumentis: probate hæresin prius: tunc accusate, conscientias ad ἀντοιταξίαν usque pervincite, si perviceritis, myriades animarum sua sponte ad vestra vota fluent; sceptro veritatis nemo facile gravis erit futurus. Sin cedant Deo & veritati!*

§. II.

Doctrinarum sic missa & rejecta repurgatione, tanquam non necessaria & absurda, admittimus promotionem, commodorum, quoad earum ratione fructus & effectus, amplificationem, atque externos præterea in ecclesia Dei successus. Isti vero intempestive cætum nostrum laceffentes, ne sic quidem, quod volunt, habent. Vulgatius quidem nihil est, quam ut ecclesiastica instituta, quæ suis imprimis conatibus putant adversa, reliquiarum papatus traducant nomine, quæ objectio apud imperitiores tantam vim habet, ut hanc solam ad vocem obhorrescentes quasi, reformident rem papatus insimulatam. Ast laet anguis in herba! Sunt enim plerumque, qui ecclesiam nostram ita accusant, ordinis omnis recepti admodum pertæsi, hinc solet fieri, ut quæ jure nequeunt repudiare, verbis & nominibus odiosis aliis reddere laborent detestanda. Cum vero sit sapientis, rebus, non folis

folis verbis metiri objecta: Intimius paululum, atque penitius inspiciamus calumniæ hujus fundamenta. Reliquiæ illæ Papatûs, quas prætendunt, sunt vel repudiandæ, vel admittendæ: Si statuatûr prius, cum per se mala sint fugienda, a Lutheranis quoque ejusmodi sunt abolendæ reliquiæ; accusasse verò hic non sufficit: si vero posterius, minime apparet, cur res in se laudabiles vel indifferentes, solam eam ob causam, quod cum Papatu communes easdem habemus, sint fugiendæ: cum virtus etiam in hoste sit laudanda, colenda atque imitanda. Habemus etiam hac ratione reliquias ex Gentilismo & Judaismo, quas tamen ideo reprobare, foret incongruum. Infimulatores isti Ecclesiæ nostræ alieni mihi non videntur ab iis, qui parallelismum religionis purioris in quibusdam cum aliqua impura invenientes, mirum quantum se objecisse putant. Rident hinc omnes solide in Theologia fundati, conatus JOHANNIS SCHEFFLERI, Jesuitæ, in sic dicta *Türcken-schrift*, qui Lutheranos cum Turcis in quibusdam convenire, multa demonstrare conatus est opera, nihil tamen sic obtinuit. Qua ratione excipi merentur ii omnes, qui ex ejusmodi, in ritibus, sic dictis reliquiis papatus, papisticam nostram arguunt ecclesiam: atque hos inter præsertim apparet ARNOLDUS, qui sine mente, per ritus & ceremonias antichristianisimum & Papisimum suffulciri pronunciat, Hæres. P. I. p. 36. 37. Cum autem & materia ista satis jam sit exposita a Theologis aliis ecclesiæ nostræ, orthodoxæ veritatis defensoribus, prolixior hic non ero. Illud tantum addo, bene facta & sapienter instituta ab aliis merito retineri, cum etiam in rebus, quæ ad externa pertinebant, & mutatione indi-

gebant, non tamen præpostere gerendum esse negotium, vel a ritibus abrogandis initium esse faciendum, & exemplo & scripto declaraverit ὁ θεοδιδαντος ἡ ἀρχοα-
 ρης ἀπὸ τῶν Apostolus PAULUS; exemplo, dum nullam
 aliam ob causam Timotheum circumcidit; Act. XVI, 3.
 scripto autem, dum Corinthios præsentibus Judæis &
 infirmioribus voluit abstinere ab idolothytis. 1. Cor.
 VIII. Quo etiam ista, quæ Apostolus JACOBUS minor,
 filius Alphæi, Matth. X, 3. (major, frater JOHANNIS, jam
 Act. XII, 2. ab Herode erat trucidatus,) in concilio Apo-
 stolico Hierosolymitano primo de idolothytis & suffo-
 catis inculcavit, sunt referenda, sec. Act. XV, 19, 20.
 Tantum igitur abest, ut quæ cum Pontificiis habemus
 communia, hæce solum ex causa veniant repudian-
 da. Habemus nos reliquias antiquitatis per Papatum,
 quatenus hic ritus innocentes, veritatem & pietatem
 non omnem potuit amoliri, non vero Papatus ipsi-
 us reliquias. *Quemadmodum leges, eleganter monet*
 D. D. GOTTLIEB WERNSDORFIUS Commentat. de
 Indifferent. Religionum p. 468. *a tyranno quidem ci-
 vibus obtruse, sed illo tamen ejecto, libere ab his retene-
 re, non amplius sunt tyrannica, dummodo cum lege nature,
 & recta ratione consentiant; ita nec ritus a Papa quidem
 introducti, sed illius excusso jugo libere a nobis retenti, cum
 nec verbo Dei, nec recte rationi repugnent, pro entibus An-
 ti-Christi, & Papatus reliquiis sunt habendi.*

§. III.

Verum enim vero saniora, cum illæ, quod ex di-
 ctis apparet, reformandi methodi, quas Ecclesiæ per-
 turbatores obtrudere allaborant, impiæ ex parte, aut
 certe alienæ sint & intempestivæ, saniora inquam, non
 desunt

defunt religionem evangelicam ad floridiorem statum perducendi media, quæ ad duas referenda erunt classes, quarum altera de rebus, quæ ad religionem quomodocunque pertinent, altera de iis, quæ ipsam directe ingrediuntur, dispicit. Priorem quod attinet classem, alienum minime est a scopo, de iis etiam agere, quæ sacra in se quidem non sunt, quorum tamen perverfa & depravata constitutio ipsam Ecclesiæ externam, imo & suo modo internam, faciem reddere valent deteriorem. Nam cum diversi in Ecclesia reperiantur status, omnes item disciplinas cum Theologia esse conjunctas, cumque eadem jungi oportere, neminem lateat, quis ex florenti statuum & disciplinarum conditione, insignes in Ecclesiam redundare fructus, dubitaverit affirmare? Vulgatissima statuum publicorum est divisio, in secularem & ecclesiasticum; civilem vel politicum, & sacrum, æconomico simul subordinato: quam licet sint, qui multa impugnent opera, non tamen est cur repudiemus. Quod enim in Republica alia sunt civilia negotia, alia in Ecclesia sacra, siquidem omnibus omnia in tanta hominum multitudine velle committere, imprudentiam argueret & imperitiam, patet inde diversorum statuum fundamentum. Cum itaque publice probatus ordo rerum sacrarum antistites a civilium rerum segreget gubernatoribus, hæc non temere convellenda esse instituta, extra omnem dubitationis aleam est positum. Dispicendum potius, qua ratione res ecclesiastica, & brachio seculari illo instructa, possit confirmari: cuius autem felicitatis nervus in utriusque status ponendus est harmonia, eaque verbo Dei conveniente. Acute de his judicavit acutissimus ecclesiæ nostræ Theologus.

logus D. J. C. DANHAUERUS, Theol. Confe. Tom. I. p. 1031. Caritas hierarchias, politicam & ecclesiasticam inter se conjunxit, ut licet formaliter sint diversissima, in praxi tamen & usu non facile divelli queant, sed mutua gaudeant hæcnonia. Ministerium os est, (non effrene, sed moderatum) sui magistratus, ut Aaron Moſis. &c.

§. IV.

Ad priorèm porro referendus est classem status academicus, qui fere civilem inter & ecclesiasticum medius est, utriusque certe quasi fons: a cujus itaque bona felicique dispositione & constitutione multa dependent ecclesiæ salutaria, ex depravatione vero earundem maximæ propullulant in ecclesiam calamitates. Unde de ipſarum quidem promovendis commodis cogitarunt jam nonnulli, consiliaque eo facientia dederunt, quo spectat JOH. MATTHIÆ MEYFARTI scriptum *von Verbesserung der Academien*, ERASMI SARGERII monita de Academiis, in libro *von Mitteln und Wegen die rechte Religion zu erhalten und zu befördern*, qui liber ex prudentiæ sacræ penetralibus depromptus, plurium manibus & oculis nostra ætate obvius esse debebat. vid. etiam CONRADUS FRIEDLIBIUS, Prof. olim Gryphiswald. in libr. de custodiendo jure sacro, levandoque statu ecclesiastico. Cap. VII. §. 19. sq. fol. X. -- XXI. Quorum tamen meditata relinquentes in medio, pauca, quæ propria suggerit mens, afferemus. Non vero existimamus, sentinam omnium in Academiis defectuum omnem, in solo latere pietatis neglectu, uti nonnemo haud ita pridem in vicinia publice in meditationibus de Academiarum reformatione probare fuit annisus. Florem quidem & benedictionem Acade-

argol



Academiarum pietatem reddere illustriorem, & in multis eam desiderari agnoscimus, sed pietatem (quod ille sensit,) partim ex sola praxi externa vitæ, superstitiose non raro, & nonnunquam hypocritice actæ, esse dijudicandam, partim omne in Academiis absolvere punctum, aut in docentibus omnem residere culpam, negamus: cum pleraque a longe profundiori origine & radice sint repetenda: plura etiam alia subsint mala, quæ academiarum statum corrumpunt, quorum nonnulla externæ Academiarum faciei adhærent, quædam vero interna sunt, ipsasque doctrinas spectant & scientias. Hoc ipsum est, quod, cum aliquando desideraret in Academiis pietatem SPENERUS, illudque inter pia desideria non solum, quod tolerandum fuisset, verum etiam inter accusationum momenta, de quibus Academiis conveniebat, & docentibus omnem culpam tribuebat, referret, responsi loco a Viro prudenti JOACHIMO STOLLIO tulerat, qui in consultatione sua ad desideria illa, prudenter & erudite, sequentem in modum reponit: *Hie fehlets. Wo steckt? Vieles, aber in Vergleichung das wenigste, hinter der Academischen Catheder! die Wurtzel des Verderbens steckt in der verderbten Hauszucht: & porro: Mich wundert in Wahrheit, daß noch durch sondre Gnade Gottes und ausserordentlichen Seegen, so diesen officinis beywohnet, so viel menschliches in solche, (wie wohl dem Höchsten sey Danck nicht alle, jedoch) meistentheils aufgelauffene Erdschwämme gepflantzet werden kan. Quæ porro differit, pariter cum judicio scripta sunt, & magnam partem accusationum ab Academiis amoluntur p 338. sq.*

§. V.

Extra omnem dubitationis aleam est positum,
 B acade

academiarum florem quam maxime promoveri, si genuina & in discendo ac docendo observetur methodus. Obstat hinc Academiarum commodis, quod factis multi e scholis & Gymnasiis in Academiis transferrunt, & in alienum velut orbem delati, in studiis tractandis vitæque rationibus oblatam amplectuntur licentiam: quæ in scholis didicerant, reformidant deinde, & neque pietati, neque sanæ amplius litant doctrinæ. Vid. de his malis JOACH. STOLLII ante allegati *epicrisis in pia Speneri desideria*, cor. p. 33. & J. C. DANHAUERI *Homil. Acad. Part. 2. p. 636. & 639.* Illic, quod non parum ad religionis puræ facit conservationem, vid. ERASM. SARCIERIUS *von Mitteln und Wegen die wahre Religion zu befördern* fol. VI. omnes, cuicumque demum subscripserint scientiæ, ad discenda & tenenda salutaris doctrinæ fundamenta compelluntur; in academiis vero nonnisi sacra per omnem vitam tractaturi, Theologiæ dant operam; hæc causa interdum omnino malorum, quod satis multi, meliorum consiliorum contemtores, tandem sibi solis sapiunt & quæcunque ipsis bona videntur, aliis vicissim obrudunt. Præstaret itaque, si alias artes, disciplinasque nemo coleret, nisi simul in cognitione doctrinæ sanioris fecerit profectus, hujusque dederit specimina, nullum enim est dubium, quin sic numero augerentur pii & sacris rebus faventiores viri, etiam in statu non viventis ecclesiastico.

§. VI.

Aliam hic quidem Academiæ ad floridiorem statum perducendi GODOFR. ARNOLDUS, omnis ac nullius religionis vir, inisset viam, si ipsi facta fuisset potestas, utpote quam historicafter ille non obscure *in historia sua monstrata Ecclesiastico-Heresiologica, nullo id nomen jure tuente*

(in

(in qua præ aliis defuit sapere,) delineat P. II. Lib. XVI. Cap. X. Illa tamen ea, quæ a fanioribus premi possit, non est; Præter enim *πρωτων* iniqui hujus censoris & hæreticæ pravitatis defensoris *ψευδος*, quod fere ubique committit, quo a singulari ad universale concludit, lectorique imperito fraudulentè glaucoma ob oculos objicere molitur, tot in ea methodo, ut numerum admittere non videantur, falsa reperiuntur & incongrua. *Ut quando bonas literas tantum non plane cupit sublatas, & MELANCHTHONEM iis annumerat, qui in vocum elementis veram olim questivissent felicitatem, quando ex multitudine eruditorum, multitudinem (ex illo, gelehrte, verkehrte,) arguit perverforum; quando Henricum, Ducem Saxonie, ob id reprehendit, quod filios in scholam miserit Fribergensem ad legendum Livium, malam enim mentem ista sapiunt omnia. Fanaticus ille salutis futuræ publicæ, siquidem in pietate fuissent edocti, multo consultum fuisse rectius existimat, inepte prorsus a lecto Livio ad pietatem concludens neglectam. Norunt peritiores, pietatem non solam, sed & civilem doctrinam, quæ politica ars facilius, quam ex historiis, vix hauritur, fulcra esse reipublicæ. Es ist nicht gnung zum Regiment, inquit LUTHERUS Tom. IV. Altenb. fol. 585. vel T. V. Witteb. fol. 207. fromm seyn, ein Esel ist auch fromm. Es gehöret dazu Geschicklichkeit und Erfahrung: Man findet einen der fromm ist, doch kaum kan fünffe zählen. Wer regieren soll, dem muß es nicht fehlen an Vernunft, Weißheit, Klugheit, Sinn und Witz, will er anders nicht grossen Schaden thun im Regiment. Urget item ARNOLDUS, ethnicam philosophicam (ubi inprimis ethnicæ epitheto ludit, remque exaggerat,) in Academiis maxime habitam fuisse necessariam: quasi vero etiam illic non aliquid fani deprehensum fuerit, quod testari possit, quousque rationis aut usus aut abusus*

sus potuerit pertingere, in hominibus divinæ revelati-
 onis lumine non collustratis. Unde non apparet, cur
 Philosophia ethnica, remotis falsis, & quatenus vera
 & bona suggerit, non sit colenda, tamen illam cum
 HENRICO ERNSTIO *diff. de vera Philosophia* remotam cu-
 piat Arnoldus. Quod enim ethnicam, qua ethnicam
 & falsam, tanquam ducem secuti sint & sequantur in
 scholis & Academiis præfecti, major omni calumnia
 rejicit experientia. *Homerum ad colendam linguam grecam,*
atque epistolam Pauli ad Titum, ad hauriendas inde verita-
tes divinas, prælegere: Terentium post catechismum ad mo-
rum institutionem commendare, quod utrumque fecit ful-
gidissimum illud Germaniæ lumen PHILIPPUS ME-
LANCHTHON, nulla eget animadversione, siquidem il-
lud sine sacrorum & divinatorum librorum autoritatis
diminutione fieri queat. Mirum, quod non & Mega-
landri LUTHERI operam Coburgi in exornandis fabu-
lis sapientiæ sale conditis Æsopæis, referente id Mathe-
so in hist. Luth. concion. 9. p. 98. taxavit criticulus. Mitti-
mus reliqua, quæ iniqua scripsit & absona fanaticorum
iste promachus, fluctus in simpulo excitans, ne istius
aliquid tribuere videamur objectionibus. Poterat Ar-
noldum vel solus LUTHERUS compescere, qui T. II. Al-
tenb. p. 808. in Scripto an die Bürgemeister und Rathsher-
ren aller Städte Deutsches Landes, linguarum Latina, Gra-
æ aliarumque cultum multis argumentis gravissimisque com-
 mendat: Wenn kein anderer Nutzen der Sprachen wäre, sol-
 te uns doch das billich erfreuen und anzünden, daßes eine
 edle feine Gabe Gottes ist, damit uns Deutschen Gott itzt
 so reichlich fast über alle Lande heimsuchet und begabet. Man
 sicheb nicht viel, daß der Teuffel dieselben hätte lassen durch
 die hohen Schulen und Klöster aufkommen, ja sie haben alle-

zeit

zeit uffs höchste dawider getobet und toben auch noch, denn der Teuffel roch den Braten wol, wo die Sprachen herfür kämen, würde sein Reich ein Fach gewinnen, daß er nicht könnte leicht wieder zustoßfen. VVeil er nun nicht hat mögen wehren, daß sie herfür kämen, dencket er doch sie nun also schmall zu halten, daß sie von ihnen selbst wieder sollen vergeben und fallen. Diese bösen Tück des Teuffels sehen unser gar wenig, liebe Herrn. Drum liebe Deutschen laßet uns hier die Augen aufthun, Gott dancken für diß edle Kleinod und fest drob halten, daß es uns nicht wieder entzucket werde, und der Teuffel nicht seinen Muthwillen büße. *Longe hæc maturiora sunt, quam quæ immaturo judicio scripsit Arnoldus.*

§. VII.

Si progrediamur ad emolumenta, ex ipsa disciplinarum constitutione ad Ecclesiam Dei promanantia, nemo, Ecclesiæ ipsi bene cupiens, nisi forsan sit spiritu vertiginis agitatus, summaque imis miscens Arnoldus, facile negabit, intimiorem omnium eruditionis partium cum Theologia esse nexum, hancque ab illis adjuvari quam maxime, sed cogitabit potius de iis colendis, promovendis, perficiendisque. Ut nonnulla de hocce afferamus nexu, quod ad historiam attinet, cum ejusdem, in primis ecclesiasticæ, fructus & usus non is saltem sit, ut fata religionum externa, nomina præfulum & virorum ecclesiasticorum, molimina Pontificum Romanorum & hæreticorum animo imbibiti possint, nam si quis in superficialia hac cognitione subsistit, hoc tantum est, ut non nesciatur, scire aliquid; sed usus præcipuus hic sit, ut omnis, ita præcipue ecclesiasticæ historiæ, ut eam, quæ in similibus, qualia in historia traduntur, requiritur negotiis, inde

acquiramus prudentiam, quis non videt, maximum historiae ecclesiasticae ad promovenda Ecclesiae commoda esse usum, cum ejusdem cultor exinde, qua ratione hanc vel illam cautionem, a praxi historica suppeditatam, aliquando in Ecclesiae vertere queat commodum, cognoscat. Qua in re habemus Spiritum S. qui non saltem doctrinas suas proposuit, verum etiam historiis perpetuis illustravit, imo has ipsas nonnullas in articulorum fidei numero haberi voluit, uti reliquas nihilominus credendorum titulo complectimur. Unde ad omnes historiarum eventus & momenta ex praescripto Syracidis C. XXXIX, 2. attendit Theologus, & quae ab Historicis narrantur vel annotantur, in usus sacros convertit. *Ex historia, inquit S. R. Abbas JOH. ANDR. SCHMIDTUS, tot tantaeque utilitates in omnem Theologiae ambitum derivantur, ut manifesto appareat, sine ea neminem felici progredi pede, imo si progredi velit, ubique haerere. Facit illa ad Theologiae scientiam, cum nihil dicatur, quod non dictum sit prius; facit etiam ad prudentiam, cum eadem ludatur fabula mutatis duntaxat nominibus.* Pluribus hoc argumentum profecutus est D. DANHAUERUS *Hermeneut. Sacrae p. 315. § 324. Historiam Ecclesiasticam prophylacticum in rebus gerendis vocans. Conf. Memor. Evang. p. 458. sq. Idea boni interpretis p. 155. sq. historiam tanquam praestantissimum interpretandi medium commendat. Comp. D. ABR. CALOVIVS Isagog. ad Stud. Theol. p. 121.*

§. IIX.

Historiae philologia, siquidem in textu sacro versemur explicando, fororior juncta est vinculo. Theologus hinc nostrae Ecclesiae summus, MARTINUS CHEMNITIVS *Locor. Theol. p. 149. ejusdem neglectum fontem* scatu-

caturinginem omnium errorum in articulis fidei appellare non dubitavit. Addi merentur, quæ D. JOH. TARNOVIUS *Exercit. Bibl.* p. 258. de hoc argumento differit uberius: D. DANHAUERUS de philologia clave epilyseos *Hermeneut. S.* p. 101. sq. D. SAL. GLASSIUS *Philol. S. p. m.* 507. sq. D. JOH. ANDR. SCHMIDIUS *Medit. de Studios. Theol.* p. 34. sq. Mala, quæ ex ignorantia linguarum oriuntur, exposuit D. DANHAUERUS in *idea bonæ Interpretis & Mal. Calumn.* p. 73. sq. Non vero sufficit Hebrææ Græcæque linguæ notitia, hebræa enim cum sit pauperior, alias etiam linguas, quæ radices hebrææ servant, Arabicam in primis, Chaldaicam & Syriacam, ad veram vocum indagandam significationem, consulere oportet. Quod enim ad Arabicam, liber Jobi voces & dictiones multas sinit merè Arabicas, Syriacæ adduxit exempla D. SAL. GLASSIUS *Philol. Sacre* p. m. 329. Quantum etiam ad promovendos Ecclesiæ nostræ fines linguarum reliquarum queat facere cognitio, demonstrant exemplis suis sollicitæ de propaganda fide societates & congregationes: ubi tamen cautelis omnino opus esse, non diffitemur.

§. IX.

Est porro ministri verbi, ut hominibus proponat æternas, salvificas & divinas veritates, Numinisque sanctissimi præcepta; huc vero non rerum tantum & argumentorum, sed & verborum faciunt pondera, quæ uti a Spiritu S. in Scriptura largissime subministrantur, ita ab eloquentia profana quædam nihilominus repetunt ac mutantur subsidia, unde omnino conducit, solida ejus jacere fundamenta: quandoquidem multum inest roboris vel uni oratorio numero, in verborum ac meditationum graviorum quæsito pondere.

Mathe-

Mathesis praeterea illustrationi Scripturae, quam inde additis exemplis laudat D. JOH. ANDR. SCHMIDIUS in *Medit. de Theol. Studios.* p. 45. sq. non minus infervit, cum & methodus ista, quam ad eliciendas demonstrationes adhibent mathematici, non sit negligenda a Theologo, hac nempe ratione, ut ordine, breviter & solide probemus probanda; etiam si non negandum, res divinas regulis demonstrationis philosophicae minime esse dijudicandas, cum rigor demonstrationis Biblicae multo sit fortior, utpote quem illud *ἀπόδειξις* axioma suggerit: Sic dicit DOMINUS! Confer. graviter de hoc negotio differens AUGUSTINUS in eruditissimo volumine *de doctrina Christiana* L. II. c. 30. & sequentibus.

§. X.

Philosophiae, cognitionis illius rerum ex natura cognoscibilem, Theologo necessarium esse studium, dudum demonstrarunt alii. Usus insignem artium philosophicarum ostendit D. J. C. DANHAUERUS *Theol. Conscient.* T. I. p. 83. *Talem Theologiam*, affirmat, esse, *cujus gynecaum omnem encyclopaediam ac disciplinarum liberalissimarum, limatissimarumque orbem complectatur; omnes scientias, facultates, artes in amplexum rapiat.* Hinc in *Idea boni Interpret. & malit. calumn.* p. II. suggerit sequentia de misophilosophis: *Hoc est, quod multos facere calumniam philosophiae cogit, quod nesciunt distinguere inter fidem salvificam & habitualem, adeoque studio & labore acquisitam, quae proprie est habitus Theologicus ejusmodi ut in homine etiam perditissimo inveniri possit.* De priori certum est, quod in laicis illa beneficio Spiritus S. per verbum agitantis accendatur, non adhibito ministerio artium philosophicarum; posterior autem Theologi est militiam sacram militantis, cujus est pluribus praesidiis instructum esse.

JOH.

quam aliorum. Vid. etiam ejusd. *Polemofophia* S. p. 45. D. JOH. TARNOVII *Exercit. Acad.* p. 840. sq. D. ABR. CALOVII *Isagoge ad Stud. Theol.* p. 98. sq. Et sane cursus Theologiæ, in quo illi, qui eam addiscunt sanæ philosophiæ curatius tenent præcepta, facilius solet procedere. Observamus etenim plerasque, hodie non minus, ex ejusdem ignoratione fluere atque oriri hærefes; multa etiam, siquidem pars adversa vera controversiæ scivisset fundamenta, aut eadem agnoscere atque reperire voluisset, non fuissent agitata certamina. Philosophiæ studium Theologo omnino esse necessarium, vel inde patet, quod hæc præter ordinem, probandique rationem, quam docet, Theologo eruditam quoque suppeditat linguam, qua in rerum accuratis, & descriptionibus, & divisionibus, carere potest minime. Neque ipsos quoque philosophicos, eosque receptos, quamvis subtiliores terminos, tanquam uberioris explicationis adminicula, quisquam, (nisi qui nullam in asserendis & defendendis veritatibus cœlestibus posuerit operam,) Theologo pronunciaverit inutiles, cum illa ad τὸ εὖ εἶπαι conducant, præstetque concinne, accurate & breviter loqui cum eruditis, quam multis ad ideas explicandas cum vulgo uti ambagibus: Sentimus hic cum S. R. D. JOH. ANDR. SCHMIDIO, qui in *Medit. de Studios. Theol. fatis, vita & studiis* p. 59. refert sequentia: *Postquam hæretici Ecclesiam turbare cœperunt, novis dogmatibus, novisque etiam terminis, orthodoxi quoque coacti sunt, illorum notitiam sibi acquirere, & iisdem contra eosdem armis uti.* Acumina enim acuminibus sunt obrundenda, & fucata subtilitas alia meliori est repellenda. De vi vocum ex I. Cor. XIV, n. & γινώσκω ὅρα, quod non recte profcindantur, videntur, quæ D. DANHAUERUS in *Idea boni Interpr. & mal.*

C

Calumn.

Calumn. p. 136. sq. tradit: *Superstitionem eandem eorum, qui schola terminos omnes averfantur, rident, damnant, taxat idem in Idea boni disput. & mal. Sophistæ. p. 336. sq.* Coniungendus S. R. D. D. LOESCHERUS Senior in disputat. de Theologia cum Logica combinanda. Methodus vero hæcce, linguaque philosophica non ipsam philosophorum veterum facit doctrinam, ab eaque probe est distinguenda, quippe quæ dogmata atque sententias exhibet philosophorum, adeoque Theologo sæpius, et si ex accidenti, nocet magis, quam prodest. Ueberius de *Philosophia Ἰηρωτῆ τῆς ἀληθείας* disserit, & non philosophiam, sed philosophos contradicere veritati asserit cit. D. DANHAUERUS *Idea boni disput. & mal. Sophistæ p. 331--336.* Sic temeraria Philosophorum doctrinæ cum Theologia mistio multorum in Ecclesia malorum fuit causa, multasque peperit hæreses; dum pro diversa philosophorum doctrina Theologiam formare diversam multi laborarunt. Sic Platonici animam divinæ essentiae fingentes particulam, sententiæ de tribus hominis partibus dederunt originem: iidem metempsychosi sua, milleque annorum revolutione pepererunt. Chiliaftas: vid. EHREGOTT DANIEL COLBERGII *Platonisch-hermetisches Christenthum.* Atque in genere vix quæpiam est hæresis, quæ non simul vel ex philosophia profus falsa, vel temere applicata labem inusserit Theologiæ. Cum ergo interfit & Theologiæ & Ecclesiæ veræ, ne vel perversa doceatur philosophia, vel genuina philosophia veritatum sacrarum constituatur norma, sed ut philosophia Theologiæ ministret, istius studii felicem culturam multum ad commoda Ecclesiæ promovenda conferre, apparet, qua vero de re prolixiores nos esse non licet. De reliquis scientiis & artibus nihil addo, cum ex dictis, quantum cum Theologia habeant

beant nexum, quamque necesse fit, atque interfi-
 Ecclesiae & rei sacrae, ut de earum retinenda sobria tra-
 ctatione, quae in coetu nostro viguit semper, cogitatio-
 nes suscipiantur seriae, appareat satis. Summatim rem
 complectitur LUDOVICUS CROCIUS *de ratione Studii Theo-*
logici p. 417. *Philosophica sacra Theologiae serviunt caute di-*
stincte, sobrie & moderate cognita quadrifariam, ad ordinan-
dum, ad resolvendum, ad disputandum, ad concionandum,
& conversandum. Primus igitur usus est ratiocinatus, alter
analyticus, tertius Syzygeticus, quartus Rhetoricus & Sym-
bioticus, in quo iudicio merito acquiescimus, quamvis
 Crocii ipsius in plerisque controversiis minime laude-
 mus praerogativam.

§. XI.

Sufficiant haec de priori classe, eorum scilicet, quae
 Ecclesiae emolumenta respiciunt e longinquo: nunc
 ad ejusmodi, Evangelicam religionem ad floridiorem
 statum perducendi media, quae ipsam propius respi-
 ciunt, atque exornant Ecclesiam, erit procedendum.
 Haec vero, ut procedamus ordine, iterum in duas po-
 tissimum classes erunt dispendenda, cum duplicis sint ge-
 neris, & tum internam tum externam faciem spectent
 Ecclesiae. Quae interna sunt, & doctrinam concernunt ab
 Ecclesia probatam, primo lustranda venient loco. Dixi,
 & asserui supra, nullum circa veritates caelestes agnosci
 defectum, quam in Ecclesia nostra ἀσφάλειαν salutis
 copiose demonstravit D. DANHAUERUS *Theol. Conf.*
P. I. p. 488-498. hinc vel hoc unum quidem suffice-
 re, ut illae integrae conferrentur & illibatae, atque ad-
 versus insuleus adversariorum, etiam novorum, &
 subinde velut renascentium intrepide defendantur &
 libere, atque sic incorruptae transmittantur ad poste-
 ritatem.

ritatem. At vero circa methodum sana Dei eloquia docendi, defendendi, praxique demonstrandis, promoveri aliqua posse videntur. Quod ipsam concernit docendi & discendi rationem, Theologiae operam daturi accedunt satis multi ad arduum illud studium, non solum ἀγεομετέρητοι prorsus, id est, de propositis objectis solidum formare nescii iudicium, sed ἀφιλόσοφοι quoque; qui scilicet operæ sese facturos esse compendium, mox arcem studii Theologici ingredi, & irrumperere volunt, minus præparati in atrio, quæ quidem ratione discentes præpostere, ut nihil solide discant, discendo efficiunt. Perversum istum morem in tractanda Theologia describit & taxat D. DANHAUERUS Homil. Acad. Parte II. p. 42. Pesset hic notari illa Theologia initiatorum quorundam incogitantia, qui oracula divina congrua hypotheseos applicatione, iusta sensum, fructuumque eliquatione, omnique adeo encyclopadia, Reginae scilicet Theosophiæ gynæceo ornata destituunt, tum probe λόγια Θεῶν tractasse persuasi, si catenatim connectant, ac numero potius, quam momenti rerum sacrarum adificare studeant, nec animadvertunt, verbum Dei esse agrum, in quo innumera latent semina doctrinarum, sed georgo opus esse, qui plantet, riget, curet, excitet, adque florem adducat, Deo incrementa cœlitus aspirante: S. Codicem esse cœlum, in quo innumera stella renident, sed tubis esse opus & perspectivis. Esse fontem, e quo non ut canis e Nilo, ut Diogenes manu, sed antibus haurias. Commoda itaque Ecclesiæ Evangelicæ valde promoveret, si, cum infinita sint, quæ studia Theologica cum emolumento tractaturum oportet nosse, Theologiæ studiosi in academias advolantes, de rationibus studiorum cum fructu tractandorum, doctores consulere frequentius, & ab illis com-
mone-

monefierent. Multa certe a futuro Theologo observanda sunt, & ponderanda: Considerandæ enim; antequam quis Theologica aggrediatur, probe sunt corporis facultates & animæ. Et disquirendum, an adsint dona, quæ ex monito Paulino excitari & excoli queant 2. Tim. I. 6. Corpus sane, ne mutilum sit aut distortum, nec item morbosum, verum lateribus gaudens, atque præsertim firmis pulmonibus, curandum: illud enim sacro indecorum muneri; hoc mortem, ex sacris laboribus susceptis, conciliat immaturam. Animæ item facultates, ipsaque non sunt negligenda temperamenta, quæ variis studium Theologicum aut promovent, aut impediunt, modis. Ingeniosi nati ad concionandum coram populo videntur quidem, verum enim vero, nimis si indulerint ingenio, auditorum animas verborum mulcebunt flosculis, cibo vero solido reficient nullo. Memoria pollentes, vel hanc solum ob causam studium amplecti solent nonnunquam Theologicum, satis eidem factum putantes, si pro concione sacros recitare valuerint sermones. Male vero isti rem suam agunt; siquidem nimis fidentes memoriæ, aliorum potius non raro uti assolent opera, quam sua: qua vero ratione memoriæ felicitate abusi, atque reliquas animæ vires non exercentes, in officio redduntur negligentiores. Judicium vero, nobilissima facultatum animæ pars, ingenio & memoria sufficienti adjutum, Ecclesiæ maximum præstat emolumentum, dummodo quis rationi non tribuat nimis, aut reformandi vexetur pruritu, sed cum vi animæ ecclesiasticam probe jungat prudentiam. Tum etiam post corporis, animæque dotes, de subsidiis tum externis, tum internis, esset dispiciendum; multum item ad Theologicum

logicum studium rite instituendum faciunt horarum delectus, industria debita, consilia a mortuis, vivisque haurienda, conversationes item, & si qua sunt plura, uberrimam salutarium monitorum atque consiliorum futuro apprime necessariam Theologo præbent materiam: ex quibus patet, quam necessarium juventuti academicæ sit, ut audiant doctores, qui animos ipsius ad futuros præparent atque disponant labores, ne in tanto mari patiantur naufragium. Ubi tamen præcipue de divina benedictione & assistentia, quæ per preces assiduas dubio procul obtinetur, ex promissione Christi Luc. XI, 13, ipsi erit elaborandum. Conf. de his D. ABR. CALOVII *Isag. ad stud. Theol. p. 22. & 26.*

§. XII.

Cum vero præparasse in commoda ecclesiæ non sufficiat Theologum, sed, ut ipsa Theologiæ salutaris doctrina methodo dein quoque hauriatur convenienti, necesse sit, huc quoque non parum profuerit Ecclesiæ studiose impensa opera. Solicite nostrates, qui institutiones ad studium Theologicum scripserunt, inculcare solent lectionem Scripturæ, quæ in incipientibus, adultis, & perfectioribus ac provectoribus omnino utramque paginam facit, neque id præter rem monent. Quicquid enim extra codicis illius solidam evolutionem & inspectionem scientiæ Theologicæ comparatur, nervum & certitudinem non habet, unde nullum apud me dubium est, commoda ecclesiæ per studium Biblicum a docentibus & discipulis recte tractarum, mire promoveri. Quorsum præcipue pertinet *Præfatio D. JOH. FECHTI eruditissima ad commentarios Schoberianos in Epistolas Pauli.* Vitanda præterea in primis est nimis compendiar a illa Theologiam addiscendi ratio,

ratio, dum dantur, qui dummodo thetica leviter & homiletica tractaverint, satis sese ministerio aptos credunt futuros: quam vero isti fallantur, & res ipsa & Theologiæ diffusus nexus atque ambiguus, imo experientia, evincunt. Sunt item, qui alio modo sacrorum studiorum quærunt compendia: quamvis enim via una altera detur brevior, non tamen est, ut adeo temporis jacturam, necessariamque perceptorum vereamur digestionem, cum natura in omnibus lente agat & ordine, omniaque certum temporis requirant spatium. Possent quidem, quæcunque pertinent ad Theologiam, paucorum intra mensium spatium summam tradi atque proponi, non statim tamen, quæ sic assumuntur, concoquantur; repetito labore, siquidem veram divinarum veritatum capere indolem, eamque cum fructu applicare, sit animus, præterea dilucida explicatione, meditatione atque exercitatione in Theologia est opus. Hinc istis imbibendis atque penitus cognoscendis justum & conveniens impendendum erit temporis spatium, ubique opus est patientia & constantia legendi, & meditandi cum nihil magis sit noxium, desultorio & præcipiti genere studiorum, quo qui delectantur parum emolumentum veri ecclesiæ Dei aliquando conciliabunt. Conf. Magnif. DN. PRÆSIDIS *Programma de Constantia Studiosi Theologiæ* anno 1715. editum. Nec eorum etiam est laudanda methodus, qui revelatæ operam dant Theologiæ, naturalem non curantes; fit inde ut officio admoti ecclesiastico, neque atheis hinc inde oblati occurrere, neque scrupulo adversus Dei existentiam & providentiam vexatis, satis valeant succurrere. Naturæ id jubet ordo, ut, quo nos ratio sibi relicta deducat, scrutemur: nec tamen
ibi

ibi subsistamus, sed provehamur ulterius, atque auctoritatem divinam, ab eaque tradita dogmata, addamus. Has quidem doctrinas, quæ atheos, naturalistas, hujusque generis religionis everfores alios refellunt, in Theologia tractari revelata, certum est, adversarios tamen non minus ex assumtis principiis & secundum proprias hypothesen censerem atque examinari debere, facile est judicatu.

§. XIII.

Alia circa methodum & ordinem tractandi studium Theologicum, quoniam jam dudum a viris sapientissimis sunt animadversa, & proposita, mittimus, vid. D. JOH. ERNESTI SEGERI *Diff. de method. Stud. Theol.* ubi plures autores citantur; ex quibus non postremo loco commendandus ANDREAS HYPERIUS in *methodo Studii Theologici*, qui omnem velut hac in re paginam impleat, nisi interdum scenæ suæ inserviret. Pauca tamen de veritate adversus adversarios defendenda atque ad praxin deducenda, addemus. Doctrinæ Theologicæ vult indoles, quia practica est, ut veritas & pietas, pari ambulent passu, atque inculcentur æque. Apparet inde, quid de ea methodo, quæ pietatem urget solam, thesin tangit leviter, antithesin prorsus omittit, aut frigide tractat, sit sentiendum. Theologus si vel sibi disceret soli, nequidem his posset esse contentus, multo minus, cum Ecclesiæ studendum sit salutem, quæ & pacis & belli indiget præsidii, illis destitutus esse debet subsidiis, quæ ad vim hostium veritatis infringendam, conducunt, illasque negligere, decet Theologum, secundum monita Apostoli PAULI Col. II, 18. & Tit. I, 9. atque Apostoli JUDÆ Epist. v. 3. qui fideles πρὸς τὸ ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἀπαξ

παρά-

καταδοθιση τοῖς ἀγλοῖς πίστει, ad decertandum pro *semel* fidelibus *tradita* fide, adhortatur: ut ab aliis, quæ studii polemici liquido evincunt necessitatem, abstineam argumentis, cum id solide fecerint, & ad fecus sentientium confusionem usque, viri tum in hac, tum in aliis Academiis per omne ævum celebrandi. Vid. hoc argumentum copiosius pertractatum in *tractatu* D. DANHAUERI *Polemosophias Sacre* titulo insignito, *impr.* p. 8. 13. & 114. Ubi exempla *disceptationum* orationum, tum *Christi*, p. 135 - 195. tum *Apostoli Pauli*, p. 217. *subjungit*. *Comp. ejusd. Memoriale Evang.* p. 749. *sq.* *Idea boni Disput.* & *mal. Soph.* p. 7. *sq.* D. JOH. HÜLSEMANNUS *Calvin. Irreconc.* p. 372. *sq.* D. JOH. FECHTII, viri memorie felicitate, ac zelo pro religionis orthodoxæ custodia admirabilis, *Philocalia* s. *præf.* fol. 3. & *peculiaris dissert. de Theologia Polemica.* Controversias hinc de religione prohibere, supra memoratum cathedræ Argentinensis Decus in *Salve Reform.* p. 646. *vocat eine rechten Indifferentium, des Schwarm- und Schwindelgeistes Abri.*

§. XIV.

Cum ergo exploratum apud nos sit, spirituali apparatu bellico carere non posse Ecclesiam, paucis de ratione, modoque bella ejusmodi Domini gerendi, pro viribus dispicere, operæ omnino fuerit pretium: ubi vero, quæ sapienter hac in parte fuere gesta et adhuc geruntur, non tangam, de iis vero, quæ ad studii polemici faciunt florem, paucis dispiciam. Primum, quod observandum, est, selectum ex magno numero argumentorum ex Scriptura, & analogia fidei, nec non rationibus aliis petitorum, esse faciendum, nec tam numero & multitudine, quam pondere & nervo argumentorum adversarios adversarios esse pugnandum.

D

Cen-

Censet hinc D. DANHAUERUS *Polem. S. p. 23. bonum disputatorem ex orationis nervis esse dijudicandum; hi enim, inquit, faciunt ad robur; pugno hic magis opus, quam palma; spiritibus, quam drachmis; acinace, quam plumbeo pignore; ferientibus, quam fulgentibus armis. Non pandenda orationis vela, sed dialecticorum remis propellenda navis.* Nobis si res quidem fit cum hominibus nostræ vel sententiæ addictis, vel ab eadem non alienis, cumulum non raro argumentorum adhibere expedit: alio vero modo agunt hostes, qui telum leviter excussim quodvis, & sine damno recipiunt, & cum fructu suo in alios revibrant. Præstat itaque omnem adversario elabendi atque excipiendi occasionem, quod argumenta præstant robore suo atque acie penetrantia, statim præripere & ad fundamentales articulos controversias revocare. Hinc non præter rem nostræ ecclesiæ doctores præstantissimi quondam posteros suos monuerunt, ut fidei Evangelicæ propyleum & munimentum, nimirum articulum de justificatione factum testumque custodirent, nihilque admitterent, quod vel tantillum eum violaret. Hoc si quis urfir unquam, fecit antea allatus SARCERIUS in libro citato aureo p. 341. sq. *Von Anbeginn der Welt her ist die Lehre von der Gerechtigkeit der Gnaden, der Grund und fundament der rechten und wahren Religion gewesen, und ist es noch, und wirds auch bis zu Ende der Welt bleiben. Drum ist auch der Teufel dieser Lehre für und für feind gewesen, und noch, und wird auch in solcher Feindschaft allezeit beharren. Er hat auch ohn Unterlaß Werckheiligen erwecket, wie er denn weiter thut, und thun wird in den nachfolgenden Zeiten, mit Vernunft der weltlichen Weißheit verblindet, welche zum härtesten diese Lehre angefochten, die Menschen werden*

den allein gerecht durch den Glauben an Christum Jesum aus lauter Gnade und Barmhertzigkeit Gottes ohn zu thun unserer Wercke und Verdienst. Et postea addit; Wahr ist es, thue diese Lehre aus der Kirchen hinweg, so hat die Kirche Friede und darff sich keiner Verfolgung von ihren Feinden mehr besorgen. Den Frieden aber sehen viel Leute heutiges Tages an, hätten ihn gerne, seyn der Aufruhr und des Unfriedens müde, und heben derowegen bereit an auf bösen und unstandhafftigen Füßen zu stehen, drum auch die Lehre von der Gerechtigkeit der Gnaden desto schwächer stehet, und mag leicht das Creutz und Verfolgung noch ein wenig länger währen, ist zu besorgen, wir lassen diese Lehre fahren um des zeitlichen Friedens willen, unangesehen, ob derothalben die wahre Religion sambt dem ewigen Frieden zu Boden gehen. Zeitlicher Friede ist gut, ist auch um Geld zu kauffen, doch ohne Schaden des ewigen Friedens und der wahren rechten Religion. Wo aber zeitlicher Friede mit Nachtheil der wahren Religion und des ewigen Friedens angenommen wird, da will doch kein Friede für GOTT und in der Welt erfolgen. Denn solte der Friede machen wieder Gottes Gebot und Befehl muthwillig sündigen, das glaube ich nicht, es glaube, wer es wolle.

S. XV.

Non vero pondus argumentorum sufficit adhibere, sed nosse quoque eorum prudentem usum atque applicationem oportet: cum methodo stringendi ad verfarium non minus, quam argumentis ipsis sit tribuendum pondus. Quod in reliquis scientiis, omni item arte, idem in studio Theologico-polemico præstat atque efficit methodus. Suffragatur hæc ex nostris, heterodoxorum ille malleus D. DANHAUERUS Ideæ bon. Interpr. & mal. Calumn. p. 69. sq. Omnia,

inquit Polem. Sacrae p. 12. de methodo, *intra certum ordinem & formam sunt redigenda, ne vaga sit informis & cruda, sed polita & ordinata disputatio.* Atque ne dicta careant exemplis, adversariorum aliqua, cum quibus concertandum, genera, methodumque eos refellendi, ex quibus dictorum necessitas, patet, in medium proferam. Sunt adversarii duarum classium, altera existentiam Dei negat, altera Deum veneratur. Primi omnium Athei, quippe qui Deum, religionis omne fundamentum, negant, sunt habendi adversarii: unde certe, si qua in re probe versatum esse oportet Theologum, in fundamentis fidei contra ipsos asserendis cura erit ponenda prima & assidua. Atheum itaque moralibus primum argumentis, (cum etiam plerique eorum praxin potius atheismi exerceant, quam ut argumentis ipsis eo sint ducti,) praeparare, non est incongruum, tum vero postea naturalibus principiis, Deum existere, Atheus erit convincendus. Si itaque ex naturae lumine Deum optimum, maximum, consequenter veracissimum atque sanctissimum noverit, eundem sui communicativum & revelativum esse non negabit. *Vid. Magnif. DN. PRÆSTIS de methodo agendi cum atheo Diss. de trifolio infausto chiliaismi, Deismi & Apocatastatisimi, atheismo non inimico. p. 41. & 42.* Hinc libros scripturae canonicos esse divinos fide divina creder, expressos in iisdem veritatis sanctitatis, atque potentiae divinae deprehendens monumenta. *Vid. pluribus D. JOH. FRANC. BUDEI Theses Theologicae de Atheismo & Superstitione: in quibus Atheos metaphysicis, physicis & historicis refutat argumentis.*

§. XVI.

§. XVI.

Ex iis, quæ venerantur Deum, religionibus, aliæ sola, ad definiendum cultum, utuntur ratione, aliæ præter illam revelatione. Prioris generis cultores Naturalistarum veniunt nomine; quos, siquidem rationis in agnoscenda Dei voluntate urferis insufficientiam, facile commovebis. Plura de his non addo, quod jam a Theologis de Ecclesia meritissimis probe sunt monita. Comp. D. JOHANNES MUSÆUS *Theol. Jen. contra Eduard. Herb. de Cherbury*. Quod ad eos, qui revelationem admittunt, hæc revelatio triplicis est generis, alia falsa, alia ex parte falsa, alia omnino est vera. Falsam habent revelationem Gentiles & Muhammedani. Gentiles quidem non turbant Ecclesiam nostram, nostris tamen diebus Evangelium in gentilium terris propagandi nata est occasio. Gentilibus vero & Muhammedanis, siquidem conferre nobiscum voluerint, dubiam ipsorum reddere religionem, difficile non est, neque singularem requirit methodum. Revelationem ex parte falsam & veram habent Judæi, qui in primis, ut Prophetarum, quos venerantur, scrutentur scripta, atque vaticinia harmonice explicent, & chronologice, quod sine suarum facere non possunt hypothesium debilitatione, adigi debent, atque sic convinci. Soli sibi Christiani veram vindicant revelationem: in his vero alii CHRISTUM JESUM, Servatorem nostrum, verum credunt Deum, alii negant & sic nomen sibi nequidem competere ostendunt. Hi Socinianorum comprehensi nomine, siquidem Scripturam sacram, quam cognoscendi agnoscunt principium, solam tenere, atque inde hypotheses suas coguntur demonstrare, quam felicissime prosternuntur. Cum Græcis conferendi non

adeo occurrit occasio, illique ipsi causæ suæ non multum fidentes, cedere solent facile. Superfunt Pontificii & Calvino-Reformati, ubi non contemnendum parit, neque in disputatione negligendum, bonæ causæ præjudicium, quod Lutherani in Theologicis mediis ubique tenent controversiis; dilucide illud apparet ex Salve Reforma. D. DANHAUERI p. 242. ubi proponitur bilanx discriminis fidei Apostolicæ Lutheranae, & fidei Calvinianæ. Conf. D. ADAM RECHENBERGII *Ifagog. App. ad libros Eccl. Symb. p. 48. sq. & Epistola D. BUCCII erudita ad B. D. Neumannum de hoc argumento ante aliquot annos perscripta.* Pontificii divino verbo per superadditas traditiones, & Scripturæ S. contrarias, conf. MAGNIF. DNI PRÆSIDIS *bina dissert. de methodo Evangelicorum & Pontificiorum adversus Lamindum Pritanium.* Calviniani per rationem, mysteria sacra ad captum suum formantem; scripturæque verba torquentem, eidem vim inferunt, ut adeo rationis humanæ judicium proximum sit principium, in quod fides eorum resolvitur: quicquid etiam hic communiter objiciatur, evicit enim hoc D. JOH. HÜLSEMANNUS *Calvinism. irreconc. p. 58. sq.* G. H. MASIUS, *von wahrer Selbstverläugnung p. 394. sq.* Pontificios vero Lutherani, neque addunt, neque detrahunt Scripturæ S. quicquam, atque adeo antagonistas vincendi hosce, viam habent facillimam, ad Scripturam scilicet eos remittendo sacram, perspicuæque inhærendo literæ, fideique analogiæ. Sunt præter nominatos adversarios fanatici etiam atque Enthusiasta, quibus mediata non sufficit Dei revelatio, quique somnia jactant, atque *seducta*, immediatamque crepant inspirationem: hujus generis spiritus mendacis suis sunt confutandi, ut refert D. DANHAUERUS *Theol. Conf.*

Consc. T. I. p. 413. Cum hodie phosphorus aliquis extrabibli-
cus solennis ac theopneustos a sapientissimo numine non sit
expectandus, nusquam promissus, & non necessarius, imo
periculosus, secundum ejusdem Theologi judicium ibid. p.
417. sq. Si itaque cum iis quis voluerit decertare, ex
actionibus illorum, dictisque contradictoriis absurda
præstabit colligere & demonstrare. Si vero, quod
solent, ne solidissimis quidem cedere velint persuasio-
nibus, hujusmodi tandem spirituum magistratus ope
coercenda est exorbitantia. Tandem, habemus et-
iam, Deo pro sapientia sua id permittente, in ipso Ec-
clesiæ nostræ sinu adversarios, qui sub pietatis pellibus
ovinis latentes haud raro decipiunt simpliciores, qui-
buscum optime agitur, dum *eigenes Philia*, quam adeo ja-
ctant, cum *Philandelia* semper debeat esse conjuncta,
si eo adigantur, ut vel normas fidei Lutheranae toto a-
nimo agnoscant suas, atque hacce ratione ex illis judi-
cent seipsos, vel, nisi scissionem custodia veræ doctri-
nae præcaveant, ex Ecclesia, quam falsam perhibent,
exeant, atque ut hostes postea externi, si ita visum, ge-
rant bella. Nihil enim clanculario & intestino adver-
sario esse potest periculosus.

§. XVII.

Restat, cum veram non stabilivisse, imo ne defen-
diffe quidem sufficiat doctrinam, sed salutarem etiam
ejusdem usum sive praxin accedere oporteat, ut et de
hac addamus quædam. De qua vero promovenda, cum
ea fere ab eorum, qui in ecclesia Dei vivunt, ad pietatem
prono vel renitente, dependeat animo, non erimus pro-
lixi. Multum hac in re viri ecclesiastici hortando atque
exemplo proprio demonstrando, magistratus legibus
ad sincerum cultum compositis, patresfamilias regendo
ac

ac præeundo possunt præstare; sed hæc uti hujus non sunt loci, ita fere optanda plerumque magis, quam speranda. In primis vero hic cautos quoque oportet nos esse, ne, praxi studentes Christianæ, nihilominus et nobis ipsis noceamus, & Ecclesiæ. Prostant enim eorum exempla, qui piis, & forte non sine bona intentione (de qua tamen Megalander LUTHERUS T. VI. Jen. p. 145. *Gut meinen macht manchen weinen,*) datis desideriiis moti, praxi dederunt operam, media vero aut non genuina, aut genuina non rite adhibentes, scopo satisfecerunt minus. Medium hic certe difficile est servare: docemur enim experientia, multos pietati litantes, fastu deinde captos, & phitautia, alios, quos minus Deo reputant acceptos, et contemnere, & odio habere. Multi colentes praxin, doctrinam veram, veræ praxeos fundamentum, negligunt, atque indifferentismo portas aperiunt: sanctitatis obtendunt speciem, veritatis causam criminantur; non cogitantes, Christianismum duos, alterum doctrinæ, alterum piæ vitæ, habere pedes, (de quibus fulcris Christianismi vid. Celebrerrimus D. FOERTSCHUIS in *diff. de pietate secundum scientiam,*) quorum unus si fuerit læsus atque imbecillis, alter recte non valeat progredi. Ubi enim in cognoscendo, ibidem etiam erratur in agendo, siquidem error in cognoscendo errorem in agendo causatur. Licet hic cum D. DANNHAUERO. *Theol. Consc. T. I. p. 216.* exclamare: *Deprehendes non raro pietatis speciem in conversatione communi, sed quæ excitatis affectibus hypocrisis denudat. Apparet non raro aliquis mansuetudine agnus, at tange montes fumigabunt, lupum sub agno reperies.* Sic multi, dum vitant vitia, in contraria currunt. Non negamus interea, æquum esse, & ad omnium & singulorum

rum

rum quotquot Evangelicorum profitenturnomen, per-
tinere officium, ut quicquid possunt, precibusque, con-
filiis et opere valent, ad veræ pietatis promovendum
cultum ac vigorem conferant, suisque ipsi præluceant
exemplis, remquæ perducant eo, ut ecclesia, quæ aliis
facem præfert purioris doctrinæ, sanctitatis etiam ve-
ræ amore præ reliquis emineat.

§. XVIII.

De interna egimus usque adhuc Ecclesiæ ædifica-
tione, nunc ad externam progredimur. Certum
hic quidem est, veræ non semper Ecclesiæ felicitatem
affulgere oculis conspicuam & temporalem, eo interim
non est procedendum absurditatis, ut cum GODOFR.
ARNOLDO, omnis in Ecclesia ordinis acerrimi infecta-
toris, exitialis *κακοδοξίας* nomine suspectorum patroni,
famæ vero meritissimorum Theologorum Theologi-
Latronis, hujusque ingenii hominibus, externum Ec-
clesiæ florem aut doctrinæ puræ aut pietati strenuæ
perpetuo obesse putetur. Ea vero, quæ ad visibilem
Ecclesiæ faciunt statum in ritibus fere, ordine, apta-
que & in tranquillo collocata quærenda sunt disposi-
tione. Deo enim omnis ordinis, etiam externi, au-
ctori, quæcunque ad servandum eum in Ecclesia, &
πρὸς οἰκοδομήν, εὐταξίαν καὶ ἐνσχημασίην promovendam, se-
cundum 1. Cor. XIV, 26. 40. constituuntur, non pos-
sunt non esse grata atque accepta. Prima vero in Ec-
clesiæ statu administrando externo, ne publica ejus
ulla ratione lædatur tranquillitas, debet esse cura.
Ad hunc obtinendum finem, certis opus est symbo-
lis, *τῶν ἑμοῖα λαλέντων, ἀνόμοια φρονούντων* diacriticis, pro-
fessionis publicæ testibus, quo scilicet hostes a veris Ec-
clesiæ membris atque civibus dignosci possint rectius.

E

Quis

Quis enim ex credendi atque sentiendi libertinismo, vel indifferentismo potest expectari ordo? Apparet vel hinc, quid de God. ARNOLDO sit sentiendum, qui symbola Ecclesiæ pudendum in modum exagitat, eademque probris & calumniis infectatur acerrimis. *Heresiolog.* impr. Part. II. Lib. XVI. Cap. XVIII. fol. 110. conf. & *index istius operis*. Pluribus damna indifferentismi exposuit atque hoc argumentum ὁρθολογικῶς est prosecutus Vir Magnif. & S. R. D. GOTTLIEB WERNSDORFIUS, Præcept. & Patr. meus summe colend. in *vere nervosa sua de religionum indifferentismo*, (ubi & de libertinismo agit) *commentatione*. Quantis etiam indifferentismus scateat damnis, ostendit B. D. DANHAUERUS in *Diss. de Gallionismo. It. Salve Reform. p. 63*. Urgent hic in primis novatores, plura sciendi, atque in veritatem inquirendi homini innatum esse desiderium. Quid vero inde? Imo & addo, homines, pro imbecillitate iudicii sui, quo minus, in accurato veritatum scrutinio, dubia, multum sæpe negotii facessentia oriantur, impedire non posse. Atqui aliud est dubio premi oborto, aliud vero, venditare illud pro vero, aliisque obtrudere. Prius in ipsius hominis interdum facultate situm non est; Vel enim nolenti sæpius, quibus statim satis fieri nequit, suboriuntur scrupuli; Alterum autem eo minus concessum, quo frequentioribus exemplis constat, novatores interdum suarum tandem objectionum, adversus veritatem cœlestem sparsarum, ipsosmet suppuduisse, pertasosque fuisse. Unde, cum nemini hic liceat ἐδιδέξω ἕναι, omnis novator turbator habetur merito, neque ideo de facta sibi injuria jure potest conqueri. Quæ enim hæcce est injuria, si quis, qui vel expresse vel tacite legibus sub-

scripsit

scripsit ecclesiasticis, ad easdem judicatur? Quid magis absonum, quam vel ad unius hominis privati captum aut monitum, publicum, eumque verbo divino non repugnantem, ordinem vel negligere velle vel mutare? Imo, vel si qua in ritibus fuerint immutanda, ratio tamen suadet, ut iis, quibus & cura & gubernaculum Ecclesiae est concreditum, hæc reliquantur definienda. Objiciunt adversarii exempla & veteris & novi Testamenti, quæ praxin contrariam videntur demonstrare, quæ tamen ad hodiernum applicari nequeunt statum, multo minus ipsorum conatibus aptari. Prophetæ etenim & Apostoli, qui publicum, eumque falsum, publice non modo impugnabant, verum etiam abrogabant cultum, non hominis privati, sed divini nuncii gaudebant privilegio, qua ratione publico regimine ecclesiastico redditi superiores, decernendi & corrigendi, reformandi & mutandi impetrarunt licentiam. Unde gentiles, Apostolos aliosque sanctos immediate a Deo missos viros, turbatorum notantes atque proscribentes nomine, quod salutis proposita media non audire, ponderare, nec veritatem agnoscere, nec agnitæ voluerint cedere, merito esse accusandos & inexcusabiles, asserit scriptura *S. Cap. I. Epist. Pauli ad Roman.* Nulla ergo, cur statum Ecclesiae nostræ, ab omni in doctrina ritibusque labe immunis, ad vertiginosi cujusvis spiritus accomodemus somnia, prorsus subest ratio: sed publice receptæ potius strictim inhæreamus doctrinæ, publicamque diversam diversis in labiis professionem esse non patiamur. *Vid. qua de Ὁμοῖα & imposturis adversariorum sanctimonix pretioso pallio tectorum refert Magnif. & S. R. Dnus PRÆSES, Patron. & Præc. honorat. in diss. de*

fide simplici ex 1. Cor. XI, 3. It. S. R. D. MICH. FOERTSCHNIUS, in diff. de pietate secundum scientiam. Qui vero penitus sese in veritates putant inspexisse, conscientiamque prætendunt suam, videant potius atque inquirant, ne conscientia illa sit erronea, nec mutatio prætensa suscipiatur præpostere. Hoc si fiat, de turbanda in Ecclesia tranquillitate, verendum non est.

§. XIX.

Qua vero ratione externi ampliari & prorogari possint Ecclesiæ fines, ab aliis quidem edoceri, quam ipse exponere, malo: Pauca vero, quæ proficua fore putamus, ne hic deprehendamus ἀσύνετοι, indicabimus. Ex relatione constat historica, sacras hoc seculo a nostratum quibusdam in gentilium terras susceptas fuisse expeditiones, missionem innuo auspiciis potentissimi Daniæ Regis FRIDERICI IV. in Malabaricæ oras institutam. Nonnulla interea sunt, quæ Evangelii cursum magis adhuc promoverè posse videntur. Multi quidem usque adhuc in illis terris evangelicam agnoverunt veritatem, publicam vero pauci, iique fere solum, qui commodius sese apud Christianos sperarunt victuros, exhibuerunt professionem. Quoniam etiam eventus non semper veritati & parti favet optimæ, proficuum valde foret, si principum in primis virorum præpararentur, & ad Christianam recipiendam religionem flecterentur animi. Addi hic merentur, quæ D. J. C. DANHAUERUS nova a Pontificiis in convertendis barbaris desiderata miracula rejiciens, de methodo cum iis agendi proponit, in *Aletbea sancta sui vindice p. 61. sq. Falsum est*, inquit, *apud Barbaros hodie convertendos aliquam esse novorum miraculorum absolutam necessitatem. --- Loco miraculorum mira quadam*
nati

naturalia & artificialia, horumque monstratio, quorum non raro efferatorum animi cicurati & percussi fuere, sufficere potest, ad comparandam attentam ac benevolam docilitatem. Si sunt politiores ac humaniores, tum ne miracula prodigantur, alia in promptu sunt media, quibus illi percellantur. 1. ipsa doctrina novitas curiosis atque obsequiosis facile persuasibilis. Tum memorabile subjungit exemplum Tunchinensium ex Alexandr. de Rhode histor. Tunchin. & pergit, vita innocentia & sanctimonia admirabilis est, --- tum mirabilium seu artificialium ostensio, qua non raro gratia apud barbaros fuit inita. Denique miraculorum Apostolicorum, quibus sacrarum literarum autoritas olim obsegnata fuit, commemoratio. Per hac & similia motiva patefacto aditu ad S. Biblia audienda, jam Spiritus S. efficax est in cordibus. Patebit hinc, quam proficuum sit per gradus progredi, quamque sapientia & prudentia in instillanda barbaris religione Christiana utilem præstet operam. Confitemur quæ de Evangelio amplissime promovendo suppeditat D. DANHAUERUS Theol. Conf. Tom. I. p. 386. sq. vid. etiam fusius Homil. Acad. Hom. VIII. de regno Christi per illicium Spiritus S. amplissime promovendo.

§ XX.

Monenda adhuc aliqua de status Ecclesiastici & Politici ad promovendam Ecclesiæ utilitatem conjunctione, & utriusque in omnibus conservanda integritate, bonaque constitutione. Opportune vero de eo aliqua tradituris in manus nostras venit ALBERTI RIPERI libellus recentissimus *Moses Deus Aaronis, sive potestas atque officium principum in sacris*, Daventria, ut titulus vult, 1717. editus, qui autor quoniam sententiis suis non modo commoda Ecclesiæ, verum ipsam etiam Ecclesiam, ejusque statum, concordiamque mutuam evertit, do-

ctores pariter & ministros Ecclesiæ satis indigne tractat, taliaque proponit, quæ Principibus Evangelicis & viris sapientibus adstruere nunquam in mentem venerat, brevibus a nobis erit examinandus, cum alioquin in refellendis adversariis multam vel ideo operam ponere noluerimus, quod is labor plus, quam nobis præfiximus, requirit temporis atque spatii. Ut vero solidum fruatur fundamentum, ex quo potestatis ecclesiasticæ ratio, de qua Autor nova & nunquam audita proponere voluit, omniaque sursum deorsumque, ac summa imis miscuit, rite derivari possit, aliqua duco præmonenda. Certum omnino est & indubitatum apud nos, Evangelicis Principibus, post emendatam & repurgatam a destructione Papali religionem, restitutam esse & postliminio velut redditam potestatem circa sacra, quæ episcopale jus uti includit, ita eo quodammodo superior est. Non vero innuitur hic talis a nobis circa sacra dispositio ac dispensatio, quæ conscientiam spectat & credenda, superioritatem in Ecclesiam, qua talem, jus in ipsa divina & ea, quæ πρὸς τὰ ἔσω Ecclesiæ pertinent, cum hæc interna partim soli DEO, partim ministris rite vocatis, partim toti ecclesiæ sint vindicanda, sed talis, quæ formam observat externam, πρὸς τὰ ἔξω pertinet, de qua debito in Ecclesia dispicit ordine, atque adeo humana fulcitur autoritate. Hæc itaque, postquam reffloruit, abactio papatu, hyperepiscopia principum, in nostra Evangelica Ecclesia, iisdem, quia ejus membra sunt nobilissima, iisque non solum regiminis regionis, sed etiam præsidii Ecclesiæ dignitas collata est, merito relinquitur: Ita, ut etiamli ceterum jus illud circa sacra externa disponendi proprie loquendo apud totam refideat Ecclesiam;

exerc-

exercitium tamen illius juris nec non administratio, verbo Dei conformis, principibus merito tribuatur & relinquatur: qui adscito Theologorum, ut & aliorum prudentum utuntur consilio & auxilio, uti ad res seculi dirimendas aliis gaudent consiliariis. Hæc omnia abunde jam & egregie a Theologis Ecclesiæ nostræ sunt exposita atque enucleata. Conf. *Aug. Apol. Art. 14. pag. m. 292. sq.* Vid. D. DANHAUERUS in *Tom. I. Theol. Conf. Dialog. III. Section. III. p. 853. --- 1004.* D. JOH. WINCKELMANNUS in *pref. Articul. A. C. thes. compr. & illustr. D. GOTTLIEB. WERNSDORFIUS in diff. de potestate principis circa symbola, & diff. de jure Magistratus circa vocat. ministrorum Ecclesiæ: Ubi ex GOTTL. GERH. TITHI specimine juris publici Lib. 3. C. 6. §. 153. p. 346. sequentia citat: Jus illud disponendi circa sacra habere principes in quantum leges divinae, ac pacta germania fundamentalia aut speciales conventiones id permittant.* D. JOH. HÜLSEMANNI *Manual. Aug. Conf. p. 590. sq. Ejusd. Calv. irrec. p. 552. sq.* Ex quibus etiam, quæ de jure reformandi, controversias definiendi, ritus jubendi & abolendi, similiaque mutandi oriuntur quæstiones, discutiuntur facile.

§. XXI.

Hæc vero omnia bene jam confecta, antea dictus ALB. RIPERUS conatur perturbare, in eo, quod nominavimus, schediasmate. Mox vero in limine ejusdem impingit gravissime, quando titulum suum in *Præfat. pag. 1.* sic explanat: *Prodiit jam Moses Deus Aaronis, sive, quod unum idemque est, Rex supra Ecclesiam, Princeps rector Ecclesiæ, Potestas principis super Ecclesiam eminens.* Quomodo enim potest supra Ecclesiam esse homo, atque eminere potestate supra Ecclesiam, cuius Christus solus est caput, dux & rector. Eph. V, 23.

cura

cum ejus solius corpus sit, Eph. I, 22. 23. *solius ipsius influxu conservatur, crescit, & augetur.* Eph. IV, 15. 16. Sciam igitur, ut nobis Ecclesiam definivisset, vellemus, antequam portentosa sua adeo crude proposuisset asserta, & de re tanti momenti, exercendi saltem, ut videtur, ingenii causa, satis judicasset immaturare. Moses Deus Aaronis nihil minus significat, quam ista, quæ sub verbis iis deprehendisse sibi visus est Riperus, non considerans, quantum verbo Dei abuti, illudque studio pravo in falsum detorquere sensum, sit crimen. Primum id fuisset considerandum, quod Moses Exod. IV, 16. *non dicitur Deus Aaronis, sed in Deum, אלהים, loco Dei, vel pro Deo, adeoque vice Dei functus, dum Aaron Dei ex Mose accepit voluntatem.* Dei Moses ad Pharaonem fuit legatus, cui etiam datus esse dicitur in Deum Exod. VII, 1. hoc est, quem tanquam nuncium Numinis divini revereri debeat, qui non solum annunciatione, verum quoque expeditione atque executione mandatorum & miraculorum divinitus se missum debebat testari. Et cum Moses oris esset minus disertus, *Aaron ipsi in oris est datus, qui Mosis ad populum detulit verba; cui vicissim erat in Deum, hoc est, auspiciam dabat sermonis, & quid Numen vellet dici, exponebat ipsi.* Minime omnium igitur Moses agebat Regem, utpote quem ipse Deus in populo suo volebat præstare, sed Prophetæ erat, miraculis & missione peculiari extra ordinem divinitus vocatus atque instructus, cui Aaron gravibus de causis fuit adjunctus, non ut ab illo, tanquam Principe, ejusque arbitrio regeretur, sed ut mandata divina Mosis data exponeret aliis, atque interpretaretur. Extra oleas itaque vagatur Riperus, & propria potius

potius cædit vineta; Si enim Moses non ut Rex Regi Pharaoni, sed ut propheta locutus est per Aaronem, non fuit etiam huic Aaroni Rex & Princeps, sed itidem Propheta, verum elinguis, alterius & quidem fratris subsidio & adjumento opus habens, ipso tamen superior. Quicquid igitur honoris Mosi concedit Riperus, illud omne vel invitus & ignarus tribuere tenetur ministerio Ecclesiastico, cum Moses non principem, sed ministrum verbi egerit, tamen si tunc donis miraculosis præditum atque exornatum. Docuit id dudum non modo D. SALOMON GLASSIUS *Philol. S. p. m. 2098. Mosem aliquo sensu dici posse sacerdotem, quod ex tribu Levi oriundus & a Deo singulariter ad gubernandum populum vocatus, extraordinarie, præsertim ante constitutionem sacerdotii Levitici, DEO dispensante, quadam sacerdotis munia peregerit: verum etiam hanc rem confecit erudite JOH. SELDENUS de successione in Pontific. Hebræorum Lib. I. Cap. I. & Rabbinorum testimonia affert, qui in ea versantur sententia, Mosem per universos 40. annos usque ad finem vite Pontificatum gessisse; unde a Philone in vita ejus vocatur ἀρχιεπίσκοπος, sacerdos summus non una vice: ut sic appareat tam artificiosum Riperi inventum in fraudem ministerii sacri excogitatum, ejus quidem causam jugulare potius, quam adjuvare, id quod primo annotandum erat loco.*

§. XXII.

Prout titulus sese habuit, ita in ipso opusculo auctor eundem sibi hunc, unicumque scopum præfixit, ut principibus ipsam internam, eamque incircumscriptam, supra Ecclesiam tribuat atque asserat potestatem: non eam tantum quæ hæcenus verbo DEI convenienter ab omnibus illis concessa est orthodoxis.

F

Verum

Verum probationes ab ipso allatæ omnes ac singulæ nihil evincunt minus, atque a statu controversiæ ablu-
 ludunt prorsus. Quam enim, ut unam tantum alte-
 ramque afferamus, §. VIII. ex præcepto DEI Deut.
 XVIII, 18. 19. ut Israelis Reges legem legant, & custo-
 dian, eruit consequentiam, ea est infirmissima. Præ-
 cepti enim non hæc est ratio, ut subditos suos ad eam
 infallibiliter judicent, sed ut ipsi vitam suam, suasque
 actiones ad eam componant, & regulam illam sequan-
 tur ubique. Hunc finem Scriptura eo in loco præ-
 scribit, alium non proponit; aliam itaque Scripturæ
 Sacræ obrudi nobis non patimur interpretationem,
 cum evidentissima verba aliud longe doceant. Deus,
 ut objicit §. VIII. p. 4. Psalm. XI, 10--12. *Reges jubet
 osculari Filium*, sed hoc ideo jubet Deus, ut ad exem-
 pli Regum respiciant subditi, non jura reforman-
 di interna, intellectuique leges dandi de rebus creditu
 ad salutem necessariis, concedit. Quod ad locum il-
 lum Deut. XXXIII, §. attinet, Moses ibi non dicitur
 fuisse Rex, sed regium munus administrasse, adeoque
 sacra ut propheta, id est, homo immediate Dei volun-
 tatem edoctus, Rempublicam, ut Rex, qui Dei impe-
 rantis vicem gereret, itidem expresse expectato man-
 dato, regebat atque instituebat. Malum omne poli-
 ticum, imo etiam suo modo Ecclesiasticum, vi Prov.
 XX, 8. & Rom. XIII, 4. jubentur remove: verum
 enim vero, imperite inde Magistratum & Principum
 in sacris, internis quoque, absoluta infertur summa po-
 testas: quod ex illis verbis extorquebitur nunquam.
 Vid. D. GOTTL. WERNSDORFIUS in *Diff. de Jure Prin-
 cipis circa vocat. Eccl. ministrorum*, p. 31. Magistratus
 cui

cui Apostolus obediendum volebat, erat Ethnicus; num vero in sacris Romani Christiani obsequi gentilibus, normamque doctrinæ ab iis expectare tenebantur, quod tamen Autor non obscure statuit p. 6. 7. Urget autor §. IX, p. 4. Paulum 1. Tim. II, 5. ut subditi pro magistratu orent, jubere, inde vero principum deducens potestatem, errat vehementer. Paulus enim loquitur de precibus, quas principibus ethnicis quoque debebant Christiani, tum ob divinam magistratus ordinationem, tum ob pacem publicam exinde resultantem, ad quam tendit magistratus divina institutio. Quod ad exempla s. X. p. 4. 5. ex Veteri Testamento allegata, illa sunt alioquin; Misere concludit, Moses ac ceteri Prophetæ imperium exercuerunt sacrorum: ergo Principes sunt supra Ecclesiam potestate externa & interna, & habent imperium in religionem ipsam. p. 33. A viris illis θεοπνευστοῖς & θεοκράτορα ista singulari ad ordinarium magistratum in singulis non licet provocare, circumstantiis, quod ipse fatetur Riperus. Ipsi Reges politici Prophetarum a Deo missorum jussu reformarunt, in externis præterea potius, quam in docenda, præscribenda atque persuadenda doctrina plerumque fuerunt occupati. Nec etiam exempla haberi possunt pro regulis, si enim ea jus facerent, idololatræ etiam jubentes, audiendi fuissent. Nec valet exceptio Riperi satis sterilis, in tali casu non esse obediendum: si enim potestatem absolutam interna imperandi habeant principes, eo ipso omnes tenentur obedire, & secus agentes plectuntur jure; quid enim potestas, quæ non nisi a Deo est, sine obsequio. De Josua adhuc addo, illum Cap. XXIV. non absolute

F 2

jube-

jubere doctrinam, a Deo expositam, sed populo potius relinquere optionem, ut utrum pristinum vel alium perverfum quendam recipere velint cultum, an vero dogmata tenere proposita, publice declarent. Eodem Moses ante Josuam cum populo egerat modo; si itaque hi immediate a Deo edocti Prophetæ, magistratum simul gerentes personam, de veritatibus sacris & voluntate divina erudierunt populum, eique ad heterodoxas transituro partes, & falsitatem amplexuro, obstitit minime, sequitur, quod Principes (fingo etiam Mosen & Josuam egisse ut principes) omnes & singuli potestatem religionis imperandæ pro lubitu non habeant. Nulla enim hoc ex illo fuit consequentiæ lege. Ceterum nec Papo-Cæsariam, nec Cæsaro-Papiam admittunt Ecclesiæ nostræ, quemadmodum prior est refellenda, ita nec altera, tanquam omnium principum officium, vid. Coroll. s. 7. est extruenda. Bene D. DANHAUERUS ex libello Apap, seu papa inversus, Homil. Acad. Parte II. p. 359. *Satanas a vi ad artes & stratagemata conversus, quod nemo metuebat, id tentans, pro Papa-Cæsareatu, inversa scena Cæsareo-Papatum substituit, Ecclesiæque Christi, Romanum vixdum carcerem egressa obtrudit. Queritis, quid hoc verbi sit? Triste profecto, Ecclesiæ progressibus noxium, qui sibi ex Evangelii ministris finxit ministros status, & servos Christi transformavit in servos hominum, circumjectis vinculis, ad reddendum eos mutos aut timidos, ne sint viri objurgantes.*

§. XXIII.

Eadem, qua inceptit, fide Riperus Scriptura S. Canonica ad suum institutum abuti, in reliquis etiam

POETI

Οὐκ ἔτι δὲ ἀπομαρ per totum libellum pergit strenue.
 Ita Cap. II. p. 13. Ubi *de jure dijudicandi controversias*
Theologicas agit, omne illud ad principem devolvit,
 exclusa plane Ecclesia, cujus membra privatam saltem
 probationem habeant, exclusis Doctoribus & mini-
 stris, qui nihil habeant præter docendi provinciam,
 excluso ipso Spiritu S. qui tamen solus per Scripturam
 iudicium sibi decisivum reservavit, discretivum autem
 Ecclesiæ, ejusque ministris, suo modo omnibus Ec-
 clesiæ membris, ipsique magistratui reliquit. Atqui
 hic de priori est auctori sermo, qui effronti calamo
 p. 17. scribere non veretur; *Principem etiam intellectus*
subditorum legem dare posse, de rebus creditu ad salutem
necessariis, perinde ac Deus! Etsi deinceps rursus in or-
 dinem redire velit, & *coactionem ac punitionem* S. 3. p. 2.
 (quod ex Luc. IX, 52-56 vult probare, ubi tamen nul-
 lus de principe, aut de religione, aut de coactione ad
 fidem, est sermo,) neget. Quasi vero hæc ad vim &
 nervum legis non pertinerent, ut nimirum obliget ad
 actum & pœnam. Parum prudenter p. 19. accusat
distinctiones a nostratibus Theologis & JChis usurpatas, cir-
ca potestatem Ecclesiasticam, ut Principibus onerosas &
 eum scandalo conjunctas. Atqui nosse debebat Ripe-
 rus, illas jam distinctiones in antiqua Ecclesia fuisse
 receptas, & post Reformationem a ducentis abhinc
 annis probatas, a Principibus Evangelicis in libris no-
 stris symbolicis propria sua subscriptione confirmatas.
 Nemo hinc cepit scandalum, donec surgerent Nova-
 tores Indifferentistæ, quibus illæ fudes in oculis. Cap.
 III. p. 20. sq. de *Conciliis in Ecclesia Dei* frigide &
 imperite loquitur auctor, *præcepta ea esse negat, Prin-*
cipens

cipem sine iis propria potestate controversas decidere posse statuit: ejus nomine præsidere, si instituat, Theologum vel Politicum, non vero Ecclesiæ, credit. Potestatem Ecclesiasticam internam segmentum dicit, & ministerium cum imperio confundi p. 23. queritur, non cogitans suam ipsius causam sic feriri, qui istud, quod Deus sibi soli reservavit dominium in hominum conscientias, hominibus attribuit. Repetit iterum iterumque, doctorum & ministrorum esse tantum docere, quasi verbum Dei rite docentibus nihil aliud tribuat Scriptura, vel, quasi illud ipsum docere non habeat realem & causalem influxum in conversionem & salvationem hominum, quod an aliis comperat non vocatis, ipse judicet Riperus, cui visum est in hoc capite multa maxime ἀτοπα καὶ ἄλογα cumulare, qualia sunt principem etiam gentilem, definiendi controversas pro lubitu & captu habere potestatem, p. 25. Act. XV. descriptum conventum dicendum non esse concilium, atque hoc non recte dici Ecclesiam representativam, p. 27. 29. neque opus esse, ut delegentur doctores ab Ecclesiis, sed vocari a Principe, p. 28. 29. Ecclesiam representativam esse nucleum Papatus, doctrinam pontificiam & non ens Papisticum p. 30. quæ eadem, qua affirmata sunt, a lectore prudente negantur facilitate.

§. XXIV.

Nondum cessat Novator; nam C. IV. ubi de Libris symbolicis agit, p. 32. a delegatis Principum, qualibus, componendos asserit, ex cujus folius approbatione accipiant valorem & vim legis. Neque necesse esse *Theologos adhibere*, quia & alii idem facere que-

queant p. 35. *Illos vero propter legem principis conformiter Symbolis docere debere, qua etiam ipse, si ita visum sit, tollere queat.* p. 38. 39. *Nec aliter circa juramentum religionis versatur C. V. p. 39. quod ad solam a principe prescriptam restringit doctrinam, uti item C. VI. de tolerantia religionum, longius quam par est, extra oleas vagatur p. 45. sq. Cap. VII. rituum ac ceremoniarum ordinationem, non in Ecclesia, sed solius principis arbitrio credit repositam, qui eas nequidem consultis verbi ministris mutare possit.* p. 50. 51. *hæcque sua asserta, cum conscientia dictaret, cum libertate pugnare Ecclesiastica, conciliationem cum ea, sed infeliciter tentat, cum naturam ejus & indolem non ex verbo Divino, sed suo ingenio putaverit dimetiendam. Magis adhuc C. VIII. desipit, ubi ecclesiasticum ministerium ad Reipublicæ salutem necessarium non esse, fingit, ipsamque revelatam religionem ad bene esse facere, non ad esse, adeoque itidem necessariam non esse, quasi id, quod hypothetice fit necessarium, propterea plane desinat esse necessarium.* p. 53. 54. *redit tamen in ordinem, atque ad salutem animarum necessaria ista dicit, nempe revelationem & ministerium, oblitus Principem in animas dominari non posse. Ecclesie jus vocandi tribuit una manu, p. 55. altera tamen rursus plane eripit, omneque tribuit Principi. p. 56. neque Ecclesie claves et bona data esse concedit, p. 57. quia non omnibus ejus membris eorum competat administratio, quod argumentationis genus refellunt vel tyrones. Inculcat rursus, Theologorum tantum esse docere, p. 59. Examen ministrorum perinde a solis politicis fieri posse, p. 60. ordinationem solius principis nomine fieri, p. 61. etiam a Politicis,*

*sicis, imo potius a politicis, p. 62. unde non opus esse ma-
nuum impositione, quamvis sit licita, p. 62. Omnes has
actiones expediri nomine Principis, ejusque imperi-
um ad ipsa earum interna et substantiam pertinere, p. 66.
et non saltem ad circumstantias et externa.*

§. XXV.

Hinc judicatur facile, qua fronte Autor Cap. IX.
circa *judicia Ecclesiastica* verteretur, quibus *Theologos in-
teresse*, non *qua tales*, sed vice Principis, qua *Politicis*
asserit, p. 70. Unde *neque necessarios existimat*, quia
tantum doceant, exemplo Christi, quod vero, quo-
modo pessimam ipsius causam evertat, facile poterat
deprehendere, p. 71. *Jus Episcopale* fictitium ipsi est p.
72. et ut vicissim liberalis sit in Theologos, *capitalibus*
etiam ipsos judicis interesse posse, asseverat, quasi in hoc
momento eorum reponatur dignitas. p. 73. Ita Cap. X.
tandem quidem concedit, Principem considerari in
Ecclesia ut membrum, praterea hunc etiam cano-
nem recte quidem urget, *quod omnes tangit, ab omni-
bus curari debere*, minus tamen recte applicat p. 80. sq.
Cap. XI. operose a *Theologis* Imperium sacrorum re-
moveret internum, quod quidem opus non habebat,
p. 83. et parum abest, quin *nemini illud competere invi-
tus fateatur*, concedit enim internos actus esse *illumi-
nationem, regenerationem*, in illosque *insuere ministros*
Ecclesie, non minus largitur; *potestatis* tantum dene-
gat nomen, quasi vero actus non praeponat po-
tentiam, aut effectum non ferat secum, vel quasi, si
ministri non habent potestatem imperatoriam in illis
actibus, illa ea propter caderet in principes, et non po-
tius

tius in Deum ipsum, eumque solum. Sine omni ratione hoc *Gallionismum* dicit, p. 88. *non ens papisticum, Σεσμαχίαν, pestem Reipubl.* et religionis, p. 89. 90. ut videatur omnem velut bilem voluisse in ministros verbi evomere, quos etiam frequentissime pungit Cap. XII. ubi sine eorum consilio Principem *controversia, ut de Theologia irrogenitorum vera, et falsa, finem imponere posse* p. 94. asserit, utpote quorum deliberatione nequidem opus habeat, p. 96. eamque potestatem competere principi, qua tali, non qua Episcopo, nec qua Ecclesiae membro primario et nobilissimo, p. 101. unde etiam *politici magistratus* titulum p. 105. non satis dignum esse, scribit.

§. XXVI.

Occupat tandem extremum caput sententia de ordine in tribus ordinibus collocandis necessario. Habet enim auctor Cap. XIII. s. n. p. 108. sq. quod Ecclesiasticus ordo Politico præponitur, in Papatus reliquiis; Papatus vero sine dubio ante Christum natum collocans existentiam; apud omnes enim de quibus constat, populos antiquissimos ordo ille fuit observatus. De Ægyptiis enim refert *Plato in libro de regno*, ut status sacerdotalis apud eos in quodam splendore ac majestate versaretur, eos non alios, quam præcipuos gerentes magistratus delegasse, sacerdotes. De Æthiopicis vid. *Strabo Lib. XVII. Geogr.* De Atheniensibus, *Josephus Lib. XIV. Cap. XVI.* De Romanis, *Centur. Magdeb. Cent. II. Cap. XV. Col. 258.* *Dion. Halicarn. Lib. II.* De Gallis, *Cæsaris Lib. VI. Bell. Gall.* Mirum itaque, quod hunc honorem personis Ecclesiasticis exhibitum inter gentilismi non numeravit reliquias! Toties imperite

G

obje-

objectus Moses Deus Aaronis huc etiam s. IV. p. no. trahitur perabsurde. Ab interprete Dei & quidem extra ordinem vocato, ad statum concludere Politicum, ut et a Principis præ ministris Ecclesiæ prærogativa, ad omnes homines in statu politico viventes, argumentari, iisque præ illis tribuere prorogativam, nexum habet solo ingenio Riperiano dignum. Assertio p. m. plena est calumniis, *Arbitraria esse Theologia dogmata, jurisprudentiæ divina*, qua posita hyperaspistes noster ex collatione utilitatis et nobilitatis utriusque studii, Theologici & Juridici vult conficere, hoc illi esse præferendum, adeoque ex hoc objecto ad eos argumentatur, qui in illo occupantur. In qua vero schola edoctus est Riperus, Theologiæ purioris dogmata esse arbitraria, Jurisprudentiæ divina et æterna? Impudenti animo & conscientiæ scriptoris debuisse ob oculos versari contrarium, ipsa meridiana luce liquidius. Est enim ministerium (quo orbi ingrato nihil dari potuit excellentius, quicquid etiam audaci allatractione in ejus contemptum effutiat,) versetur interdum circa ea, quæ ab arbitrio Dei dependent, ut Sacramenta, ideone deterioris sit conditionis, & vilipendendum præ illis, qui circa ea versantur, quæ ex mero hominis imperantis arbitrio dependent? Gerris ficulis illa sunt vaniora! Theologia nimirum, nemine prudente reclamatur, objectum habet mere sacrum et divinum, quod disciplinarum omnium objectum longissime transcendit: uti enim a Deo est, ita de Deo docet, et ad Deum ducit. Apostolus PAULUS I. Cor. I, 20. sq. eandem vocat τὴν σοφίαν, quæ τὴν νομοσοφίαν infiruet & stultam faciat. Subjectum est anima, melior
pars

pars hominis; finis ejusdem est hominis æterna salus, æternique fructio boni, non in certo tantum genere, sed simpliciter et absolute summi, quod nec oculis visum, nec auribus auditum, nec dum in cor hominis ascendit, quemadmodum hunc Theologiæ finem cognoscimus ex verbis Servatoris nostri Jesu Christi, Joh. XX, 31. Omnia vero in Jurisprudencia se habent secus! Objectum sunt res civiles, subjectum est homo, qua corpus, et quæ circa corpus, finis salus est politica & temporalis. Quis ergo sanæ mentis arrogans adeo fuerit, ut ob disciplinarum Jurisprudenciam Theologiæ præponat præstantiam. Falsum est Jurisprudenciam leges complecti divinas, qua tales, cum eadem solum exhibeat civiles leges et politicas, qua tales. In reliquis futilibus autoris assertis, (ignorantiæ Theologiæ Dogmaticæ et Exegeticæ luculentis testimoniis), cum lubrico omnino innitantur fundamento, extricandis diutius immorari non allubescit: miramur potius, tantum in homine audaciæ inveniri posse, ut de summa potestate Ecclesiæ interna atque externa, ad quam probe discriminandam animi virorum exquisitissime eruditorum aciem suam adhibuerunt, et ad verbi divini limam accurate trutinandam operam adhibuerunt, adeo frivolum & præposterum sustineat ferre judicium, & dum videtur magistratui a Deo constituto aliquid vindicare velle, illi potius detrahere, cum Christiani et Evangelici Principes, statusque nunquam ea, quæ fuerunt interna, et Deo soli relicta, sub suam cadere potestatem, fuerint professi. Conf. *Præfatio ad LL. Symbolicos Protestantium Electorum ac Principum admodum notabilis.* Sufficit nobis,

si vel maxime nonnullorum forte assensum sit reportaturus, prudentioribus tamen conatum ejus turbativum odio & execrationi esse futurum, ut in eo pluribus refutando, opus quidem non habeamus.

§. XXVII

Tandem, ut ad institutum e diverticulo, ad quos nos Riperiana abduxerant portenta, redeamus, de impedimentis commoda Ecclesiae prohibentibus, iisque adversantibus, libertinismo, tadio rerum antiquarum vere talium et laudabilium, perversa e contrario antiquitatis, quae tamen genuina non est, commendatione, aliisque pluribus, hoc praecipue seculo se effertibus, seorsim agere nunc possemus, sunt enim multa huc spectantia argumenta, consideratione aliqua singulari perdigna; nos vero sermonem de iis ex parte fecimus in ipsa dissertatione nostra, & si qua forsitan a nobis fuerint neglecta, sunt tamen ea omnia ita comparata, ut elici ex dictis queant facile, aut saltem ex supra dictis iudicium de iis facile institui posse videatur. Hinc juvat concludere verbis Theologi τῆς μακαρίτης, D. JOH. CONR. DANHAUERI, fideris illius Ecclesiae nostrae Evangelicae fulgidissimi (*quem ob ingenii vim, atque acutam in scribendo sublimitatem, Scotum Ecclesiae nostrae, quod fecit nuper celeb. Philologus quidam, nefas fuerit appellare, cum scripta Scoti Papaei quatuor sint obscurata minime,*) quae extant T. I. Theolog. Conscient. Part. II. Dial. 3. p. 491. ubi de regni Christi designatione atque ΣΗΜΑΕΙΑ agitur, et Wittebergae nostrae veritatis ad posteritatem valiturum, satisque idoneum praebetur testimonium, quod tamen non jactantiae vanae, sed ad-

ver-

versus accusatores defensionis causa afferimus: Peregrinantes nunc et peragrantes per totum terrarum orbem, ut regnum Christi, quod est gratia, investigemus, nullum occurrit, in quod regni Messiani nota ex affe quadrent, nisi solum illud, quod WITTEBERGÆ, (ubi Cai bedra Lutberi,) et qua huic consanguinitate fidei conjuncta sub Augustana confessionis invariata simbolo colligitur. Hac luce gaudet verbi, magistra fidei, legem Christi irretorto oculo sequitur, colit, veneratur, nullam fidem, nullum cultum Numinis admittit, nisi quem a Christo preceptum esse constat, pacem Christi spirat, & solatifuam, & sanctificam, et salvificam. Nulla hic doctrina resonat, que non scateat solatiis vere solidis, ac inter hæc præcipue asphaleia salutis, e remissione peccati in simbolo Apostolorum non frigide ac demoniacæ credenda, (cum demon satis noverit in Ecclesia esse remissionem peccatorum, sed eam sibi neget,) sed firma fiducia apprehendenda, applicanda, approprianda. Hanc qui habet, habet jus regni cælorum, salutem et vitam; Neque tamen ordo divinus excluditur, pœnitentia serâ ac sincera ante, et prudentia timoris filialis post in tuendo hoc thesauro. DEUS nos in hac veritate sua sanctificet, verbum ipsius est veritas.

T A N T U M.


CLARISS-

CLARISSIMO
DN. RESPONENTI AUTORI
M. HENRICO JOHANNI
BÜTEMEISTERO
GRATIAM SPIRITUS S. AMPLISSIMAM
OMNEMQUE FELICITATEM
PRECATUR
PRÆSES.

Magni sane ponderis argumentum est, quod in dissertatione tua pertractatum deprehendi. Pertractus es ad illud excutendum pulchritudine quadam insigni et utilitate, quam in eo deprehendebas, nec territus es difficultate illius, protinus in omnium oculos incurrente, quotquot summam rei recte perpendunt. Neque infeliciter illo labore, quae Dei benignitas est, perfunctum te video, non solum, quia mature satis de rebus ecclesiae iudicas, verum etiam, quod aetati majori, annisque et experientiae relinquendum est, modeste tibi in alium olim laborem reservas.

vat. Placet praeterea, quod ALBERTI RIPERI
asserta falsissima simul refutes, quae equidem non
turbabunt viros prudentes rei que gnaros, minus
tamen cautos ad Syrtes quasdam deducere pote-
rant, unde non facile absque naufragio eluctari
liceat. Duo nimirum sunt extrema, quae omni
studio cavenda veniunt, a Nostratibus dudum mon-
strata, ne impingerent posteri in alterutram par-
tem atque misere alliderent. Alterum eorum,
qui omnem curam religionis a Principe abesse de-
bere existimant; alterum illorum est, qui illam ipse
tribuunt, sed ita ut in ecclesiae aliquod dominium
commutent. Sicut per Lutheri repurgationem a
priore extremo Deus majores nostros liberavit, ita
ipsi grates agenda, quod ab altero extremo eccle-
siam puriorem haecenus praesitit immunem. Quod
praeter alios gravissime monuit aliquando Vir de
coetu Dei orthodoxo, & Patria cum primis Tua,
Honoratissime Domine Autor, optime insigniter-
que meritis, MICHAEL VVALTHERUS, ubi
de Cura religionis ad principem spectante differit,
et quomodo ipsi competat, idoneis argumentis osten-
dit *Quadragesima Miscell. N. XVI. p. 572. sq.* Rem
igitur Dei & causam veram bene defendis, atque
sic te majoribus prudentiae Theologicae experimen-
tis praeparas, ac profectuum sacrorum specimen
non postremae classis exponis. Quapropter non
com-


communi saltem, quo ferimur in nostrorum incre-
menta, sensu tibi gratulor, verum etiam peculiari
voluptatis genere perfundor, cum meminerim Te
non saltem ad me accessisse stipatum commendatio-
ne Venerandi Theologi, nostrique amantissimi, D.
POLYCARPI LYSERI, Praesulis Cellensium ec-
clesiarum meritisimi, verum etiam in convivium
museumque a me receptum, expectationi respondisse
non absque successu. Quem ut Deus propitius por-
ro clementissime Tibi largiatur, conatusque Tuos
felicis & auspiciatos esse, ac sicut de promovendis
ecclesiae commodis in cathedra Lutheri differis, ita
tuis aliquando laboribus amplissime ea promoveri
atque locupletari jubeat, ex animo toto Tibi pre-
cor. Novi enim haec esse vota tum PARENTIS
Tui Amplisissimi, tum Patruum, quem Parentis instar
colendum, venerandumque habes, DN. BÜTE-
MEISTERI, Göttingensium Antistitis Generalis,
non sine honoris atque amoris significatione mihi
commemorandi: Quibus uti nihil potius aut anti-
quius habes, ita quoque sine calcaribus meis, ut
cursu studiorum tuorum porro feliciter continu-
ando ea adimpleas, omni contentione anniteris.
Me vero habebis Tibi, Tuisque commodis ex animo
semper faventem, et de incrementis tuis porro non
parum gavisurum! Scribebam die XXIII. Martii
A. O. R. MDCCXVIII.



ULB Halle
005 708 540

3







B.I.G.

Farbkarte #13

1718 288
 כִּי הוּוּ
 STATIO THEOLOGICA
 DE
MODIS COMMODIS
RE EVANGELICO-
THERANÆ,
 QUASIMUL
LOGIÆ ALB. RIPERI,
 IN SCRIPTO
 NIS PROLATÆ, REFELLUNTUR

QUAM
 LIB PRÆSIDIO
 SUMME VENERABILIS
FRANZINI CHLADENI
 D. PROF. PUBL. ORDIN. ALUMNORUM
 IUM EPHORI. ORD. ITEM THEOLOG.
 H. T. DECANI,
 RIS, ET STUDIORUM SUORUM
 TORIS, OLIM HOSPITIS
 ECET, CULTU PROSEQUENDI
 EDRA D. LUTHERI
 MART. A. MDCCXVIII.
 NIENDAM PROPONET
 UCTOR RESPONSURUS
JOHANNES BÜTEMEISTER,
 CELLENSIS
 AG. ET S. TH. CULT. 1718
 EX TYROGRAPHEO FINCELIANO.